



BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII

3818







CREDO^{7.} ARRIANORVM, *SEV,* Confessionis Socinistarum, vel Samosathenistarum, vulgò Arrianorum,

*Symboli Apostolici vestem, Luclauicijs, fraudulen-
ter induitæ; Imposturæ detectæ:*

A

P. NICOLAO CICHOVIO Societatis IESV.

Adiecta est,

Severino Symiecksi Prae-
Hospitalio & Decanico Bio-
Radicis Præbus Reformatio I.

CENTVRIA ARGUMENTORVM, <sup>Amicis
nissimis
naturis</sup>
Pro Summa & Naturali Christi Domini Diuinitate, ex
S. Scriptura, ab eodem Authore collecta: & Soci-
nistis oblata.

CRACOVIAE,

In Officina Typographica Francisci Casarij, S. R. M. Typ. A. D. 1649.

2.458



¶
*Attendite a falsis Prophetis: qui veniunt ad vos in
vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi ra-
paces.* Matth. 7, v. 15.

*Facio: & faciam: ut amputem occasionem, volen-
tium occasionem: ut in quo gloriantur, inuenian-
tur sicut & nos. Nam eiusmodi Pseudo-Apostoli,
sunt operarij subdoli: transfigurantes se in Aposto-
los Christi.* 2. Cor. II, v. 12, & 13.

*Fuerunt vero, & Pseudoprophetæ in populo, sicut &
in vobis erunt Magistri mendaces: & qui intro-
ducent hereses perditionis: & EVM QVI E-
MIT EOS, Dominum, negantes: superducentes
sibi celerem perditionem.* 2. Pet. 2, v. 1.

¶

XVI - 3818 - III

Perillustri & Magnifico Domino,

D. IOANNI à WIELOPOLE
WIELOPOLSKI,

Becensi, Bochnensi, &c. Gubernatori:

Salinarum Cracouiensium

ADMINISTRATORI. &c. &c.

Author Salutem & Felicitatem.



^
O tandem; Perillustris & Magnifice Domine,
frequentatis in Dei Filium blasphemis, Socinisti-
corum dogmatum sectatores, vulgo Arriani, pro-
gressi sunt: ut, de rebus Diuinis, relecte loquendi
vel sentiendi voluntate, videantur excidisse. Nihil in Re-
ligione Christiana tam sanctum: tamq[ue] uniuersum, à primis
eius initijs, toto Orbe receptum: tam denique Sacrarum lite-
rarum præsidio, munitum: quod non, illi, vel insolenti ausu
conuellere; aut saltem labefactare; vel subdolis machinatio-
nibus, nitantur, suffodere.

Postquam enim, Diuinae Maiestatis Solium, inuasissent;
Deumque, (quod eis, clarissimus quondam Theologus, Grego-
rius de Valentia, obiecit; in dedicatione sui Voluminis de San-
ctissima TRINITATE:) de suæ, quasi gradu, naturæ, quæ
in unitate Essentia, & Personarum TRINITATE consi-

Præfatio.

stis; deturbare conati essent; mox, in Dei FILIV M virulentos strinxere calamos: eis non solum Diuinitatem; sed etiam munus Redemptoris, Sacerdotium, Passionis et mortis ad tollendum peccatorum nostrorum debitum, condignum valorem, Sanguinis effusi pretium, regni eternitatem, per summum scelus detraxerunt: et subinde: animis, blasphemiarum impunitate, crescentibus, Sacramentis, omnem vim, et efficaciam negauerunt: peccatum Originis tanquam anilem fabulam deriserunt: ideoque Baptismum Aquæ, tanquam inutilem Christianis ceremoniam, abiecerunt: animabus humanis, corpore solutis, omnem vim operandi sustulerunt: Carnis Resurrectionem, ab Apostolis clarissime prædicatam; tanquam Machometicum figmentum reiecerunt: denique, nihil propè, in Religione Catholica, in uiolatum reliquerunt.

Atque ideo, magnopere ingemui: cum intellexisse; tantorum monstrorum Lernam, Racouia, Luclauicios, locum, Tuæ Perillustri Celsitudini, conterminum, commigrasse: indeque variarum hæreseon capita, etiam ementitæ pietatis laruum induita, in summam perniciem animarum, pretiosissimo Christi Domini Sanguine redemptarum, per Minoris Poloniae Provincias pullulare. Quis enim sine gemitu cogitare possit? in terrâ illâ, quam multis nominibus, ceteris, Regni Provincijs, prætulit Deus; cui, eiusdem, diadema, et pretiosissima quæque cimelia creditit; quam solam, salis, marmoris, aurichalci, stanni, plumbi, argentique fodinis, admirabili munificentiâ, locupletauit, Illustrissimarum Familiarum frequentia illustrauit; Sanctorum et thaumaturgorum, hominum, locorum

Præfatio.

rumue, copiâ, consecravit; in illa inquam terra; apertam esse officinam impietatis: gymnasium blasphemiarum Dei: Prytanæum illorum hominum; qui, Cor, & Caput, Religionis Christianæ petunt: gloriabanturque: se totum Fidei Catholicae Fundamentum evertere: & auitam veterum Polonorum fidem, in inauditum Polonis, Samosathenismum: & hæreses perfidiæ Machometanæ consonas: (sanguineis lachrymis deploranda metamorphosi:) commutare. Ego sane, grauissimum sensi dolorem: cum primum intellexi: aliquot Scripta super Luclauicijs edita, effecisse: ut non pauci, à profitenda, Summa & præterna Christi Domini Diuinitate, auersti; & Socinisticarum faciem Mephiti, absorpti; à veritatis luce exciderint.

Id, quod effecit: ut elingui licet Filio, vulnera, tam grauia, Matri inficta, vocem extorserint: manumque, ad scripta, tam contagiosa, refellenda, impulerint. Quorum, quia perniciosissimum comperi esse: quod Symboli Apostolici speciem, præferebat; ab hoc incipendum censui: non temere persuasus; multorum me animabus consulturum; si huius Opusculi imposturas detexero: eademque operâ, fortasse perfectiorum: ut eos, qui dissimulatis execrandis erroribus, grauium hærescon faciem, Symboli Apostolici, & Sacrae Scripturæ, coloribus oblinebant; quo in simpliciorum animos fictâ pietate irreperent: initi consilij, paeniteat: & pudeat: si nondum depuduerunt. Adicci Centuriam Argumentorum, è Sacris literis collectam: hostibusque, Summæ Christi Domini Diuinitatis, objectam; ut antidotum, & amuletum qualecunque

Præfatio.

suppeditarem, miserabili illorum morbo: qui se arbitrantur obsequium præstare Deo: cum Socinisticis fraudibus circumuenti, omnem Maiorum suorum, quibus suæ Nobilitatis prærogatiuam debent; exuunt pietatem: abnegant fidem.

Tuæ verò Perillustri Celsitudini, Prudentissime, & Cordatissime Heros: hoc, certaminum cum Arriants animo conceptorum præludium; humillimè offero: certa spe concepta: huic lucubratiuncula, plurimum lucis & authoritatis accessum; ab Illustri Tuæ Celsitudinis splendore: qui non patrios solum, sed, & exterarum gentium, oculos, in se conuertit. Tu enim post saluberrima, in publicis Conuentibus, Reipublicæ data consilia; post Patriam, non Palladijs solum, sed Martijs etiam defensam laboribus; post Suprema, saepius Iudicum inseffa subsellias in Pannoniam, à Serenissimo Poloniæ Sueciæque Rege, difficillimo Regni tempore, ad Illustrissimum Transylvaniæ Principem, Regius Orator, missus; negotium summè arduum, singulari dexteritate peregisti: & in toto Transylvaniæ dominio, prudentia, munificentia, grauitatis, cæterarumque heroicarum virtutum, reliquisti vestigia: non leuiter preffa, ad exigui temporis prædicationem: sed fixa, ad memoriam omnium sempiternam.

Vt, minimè dubitem: Tuæ Perillustris Celsitudinis, industria; & propagandæ, Catholicae Religionis, studio; summèque apud Nobilitatem Polonam, & Pannonicam, autoritate; perfectum iri: vt, huius lucubratiuncula seges, non solum submontanis regionibus, tberem afferat messem: sed etiam, Carpatijs superatis Alpibus, in aliquam Pannonicæ gentis,

Præfatio.

exeat, utilitatem. Et vero, æquissimum est: ut quantum olim detrimenti, Scripta Triadomachorum, sub potenti, unius Safranecij, patrocinio, Luclauicis edita, Religioni Christianæ attulerant: tantum, eidem, afferat emolumenti, Luclauicensis Confessionis impugnatio, Tuae Perillustris Celsitudinis autoritate munita. Quo tandem fiat, ut Illuſtrissimum Senatorij Solij Splendorem, quem antiquissimæ Stariconiorum Familiæ, patrocinium hæreſeos sustulit; patrocinium Christianæ restituat veritatis.

Deus, honorantium sc, studioſiſſimus remunerator, Tuam Perillustrem Celsitudinem, quam diutissimè conseruet incolumem: eoque, in altiores, eleuet, dignitatum gradus; quo ferventiorem, sui Diuini Honoris, fecerit Zelatorem. Cracouiae, die, & loco Principibus Apostolorum sacro.



Facultas,

❧

Facultas, & Approbatio R̄ndi. P. Pro- uincialis, Prouinciæ Polonæ.

*Stanislaus Sczytnicki, Prouinciæ Polonæ, Societa-
tis IESV, Prouincialis.*

Dvo P. Nicolai Cichouij Societatis Iesu, con-
tra Socinistas, vulgò Arrianos, Opuscula, quo-
rum altero, imposturæ Confessionis Luclauicensis,
deteguntur; altero centum argumenta, ad tuendam
Summam Christi Domini Diuinitatem, afferun-
tur; ab aliquot Theologis, quibus id commissum
fuit, lecta, & approbata; Ego quoq; approbo: &
concessa mihi potestate, ab Adm. R̄ndo. P. Nostro
Vincentio Carrafa, Societatis nostro Præposito Ge-
nerali, typis mandari permitto. In cuius rei fidem,
hoc testimonium, chirographo nostro subscriptū,
& sigillo munitum, Authori dedi. Cracouiae,
2. Iulij. 1649.

Stanislaus Sczytnicki.

Proœmium.


 Vnde Symbolum Apostolicum, quoad omnes duodecim Articulos, tandem recipient Samosathenistæ, Cita enim potius dici malunt quam Arriani: cum fateantur Paulum Samosathenum, illud ipsum de Christo sensisse, quod sentiunt & docent ipsi:) est quod agamus gratias Deo: sitamen, & nunc, sincerè ab eis recipitur: & integrè. Certè olim, ab eius Confessionis antesignanis, hoc Symbolum vel negabatur esse Apostolicum: vel parui fiebat. Nam Macieiovius in rationibus suæ ad Catholicam fidem, à Samosathenismo, conversionis, editis in anno 1604. Symbolum Apostolicum à Samosathenistis repudiatum esse testatus est. Deinde D. Bebelnius contra Ostrouium, *Fol: 95.* satis contemptibiliter de eo loquitur: & Saxo *Lib. de Diu: cap: 13.* ait: Symbolum (quod vocant) Apostolorum. & D. Moschorouius in Refutatione primâ P. Skarga *Fol: 159.* congerit testimonia Vallæ, & Erasmi Rothrodami, Triadomachorum prodromi: qui negabant hoc Symbolum esse Apostolicum. Author etiam huius Confessionis, Ionas Slichtingius, tertiam huius Symboli partem, negat sapere stylum Apostolicum. Ut proinde meritò dubitari debeat; verè ac sincerè, integrum Symboli Apostolici fidem, isti Confessionistæ sequantur. Illud quidem, spero, me clarè Deo iuuante, ostensurum: Confessionem hanc, plenam esse imposturarum: & longè aliam exhibere fidem, quam quæ à Magistris Samosathenistæ, libris in lucem editis, docetur.

C A P V T I.

Credo in Deum.

IN primo Articulo ait Author: *Credimus in Deum, qui ideo dicitur Deus absolutè, & Deus unus, Deus solus, Deus verus, quia est Deorum omnium summus.* Hæc ille. Hic quæro: Vnde habeat author Confessionis, harum denominationum, hanc esse rationem, quam affert? Non ex Scriptura; nam quā? non ex Symbolo; nam vnde? non ex aliquo Doctore Ecclesiæ; nam omnes Sancti Patres, infra eum, eius iudicio sunt. Vnde ergo? si ex suo sensu: quare igitur rationem à se allatam, tanquam è Scriptura deductam, fingit? Melior harum appellationum videtur esse ratio: quod Deus is, in quem credimus, solus Deus natura sit: & proinde unus & solus verus: ut ideo illi, qui seruiunt, ijs qui non sunt natura dij, sint ignorantes Deum: teste Apostolo, *ad Galat: 4. ¶. 8.*

Ait idem ultra: *Agnoscimus Deum immensum, summè sapiētem, summè iustum, summè bonum.* Itanè agnoscitis Deum immensum? atqui vestri Theologi negant Deum esse omni loco præsentem: sed eum includunt cælo: imo magnum absurdum & blasphemiam reputant, Wolkelius, Smalcius, Morskouius, dicere: Deum esse in omni loco. Non ergo falsum est, vos agnoscere, Deum immensum?

Iam, quomodo, secundum vos, Deus, summè sapiens est: cui vester Rabbi Maximus, futurorum præscientiam negauit? Nam verba illa *Dan: cap: 13. ¶. 42.* *Deus, qui nosti omnia, antequam fiant.* (Prælectionum Theologicarum *cap: 9.*) ita explicat: *Deus, qui nosti omnia, non antequam illa ratione sint, sed antequam orientur;* licet iam quodam modo sint: et si non secundum omnia. Idem verba illa *Heb: 4. ¶. 13.* *Omnia nuda & aperta sunt in conspe-*

ctu eius:

Etu eius: explicat de illis: quæ sunt perfectè vel imperfectè: quæ autem simpliciter non sunt, illa ait non posse sciri à Deo; nisi coniecturaliter: & ita, c. 10. explicat verba illa Dei, Gen: 13. v. 19. Scio, quod Abram præcepturus sit, &c.

At scitnē D E v s Pater, certò diem iudicij? an solūm coniecturaliter? certè eius tam propriè hodie nihil est, quām nihil est crastini mei alicuius interni assensus: quem tamen negat iste à Deo sciri posse, nisi coniecturaliter. Hanc doctrinam Fausti, sequitur & tuetur Wolkelius in locis communibus, *Fol: 182.* & Moschorouius incitata Refut. *Fol: 238,* negat D E v M scire, liberos hominum assensus futuros: manifestè repugnans Euangelio docenti: quod Christus præscierit negationē futuram Petri: fugam vel dispersionem Apostolorū: traditionē futuram Iude: Tyrios & Sydonios credituros, si signa, in Corozaim facta, apud eos fierent, &c. quæ omnia fuere futura contingentia. Repugnat item, omnibus Prophetis: in quibus, sàpè prædicebat, (vtique præcognoscens) D E v s; multa futura contingentia: quæ absolute futura non poterant prædici, nisi ab eo, qui ea infallibiliter præsciuerit esse futura. Iam verò quomodo dicere auderis, à vobis credi, D E v M esse summè iustum, & summè bonum; cùm vos oppositum credere, vestra scripta arguant? Iustitiam vindicatiuam, Deo negant, communiter illi: qui negant Christum satisfecisse pro peccatoribus. Sàpiùs hoc inculcat Saxo. Aliqua suffecerit loca designasse. In Refutatione libri de vero Dei Filio, *Folio 155.* expressè docet: *Nullam talem iustitiam, quæ necessariò peccata puniat, in Deo esse.* & *Fol: 290.* negat eam iustitiam esse Dei naturale attributum cùm tamen D E v s hanc sibi iustitiam tribuat *Exodi 20. v. 5.* *Ego sum Dominus Deus tuus fortis Zelotes.* visitans iniqitatem Patrum, in tertiam & quartam generationem: ab eaque se puniri fateantur Principes Iuda; *2. Paral. c. 12. v. 6.* & *1. Esdr. 9. v. ultime.* *Domine Deus Israel iustus es tu: quoniam derelicti sumus.* & *2. Esdr. 9. v. 33.* *Tu Domine iustus es in omnibus quæ venerunt su-*

per nos, &c. & Dauid, eandem peccatoribus minatur : Psalm. 10.
v. 7. Dominus pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur pars
calicis eorum: (notetur & expendatur hæc particula causalis)
Quoniam iustus Dominus, & iusticias dilexit. Falsò ergo, author
Confessionis, se suosq[ue] dicit credere, D E V M esse summè iu-
stum: cùm ei iustitiam vindicatuam, iusto Iudici propriam, &
ex vi huius muneris debitam, libri ab eis editi, negent.

Falsò item dicunt, se credere D E V M esse summè bonum:
cùm Socinus in Prælect. Theologicis ita scribat: cap: 14. Deus
effecit ut filij Heli, Patri recta momenti non auscultauerint. Et: Dei
consilio Absolon, ad stuprum sui Patris uxoribus inferendum adactus
fuit. Et: Deus Iudaorum malitia, ad filium suum occidendum abusus
est. Et: Deus hominem, in quo reperit malitiam, ad aliquod facinus
patrandum adigit: Quæ verò Saxo, de Christo, in Monstris effu-
tiuit, fol: 5. quod Christus non tantum permettere, sed etiam procurare
potuerit, ut aliqui homines in errores grauissimos ruerent: & quod
Deus noluerit ab hominibus, per 15. sæcula cognosci, veram de Deo do-
ctrinam; ita reprehensum est à Patre Smiglecio, ut disertissimus
alioqui, in omni nota à se amouenda, homo, non habuerit, quod
responderet: Quanquam idem, quid de bonitate Dei sentiret,
apertiū significauit libro de Erroribus primo, cap: 12. fol: 121.
vbi ita docet: Deus contemptores, reuelatæ voluntatis Diuina, pro-
trudit: & ut quodammodo ipsis facta ita constringat, ut non possint
non peccare, &c. Cæterū ut adeorum Principem redeam, quæ-
ro à Dominis Confessionistis: sicuté hoc esse summè bonum ad
stuprum, imo incestum adigere? si facere Filios inobedientes
Patri; si adigere ad aliquod facinus, ad stuprum, vel adince-
stum, si abuti aliena malitia, si protrudere ad peccandum, non
est esse causam peccati; si procurare, ut aliqui in grauissimos er-
rōres ruant, non est esse Pseudo Prophetam, vel Hæresia cham:
quid quæsio aliud est? An non ipse D. Ionas exhortaret; si
quis ei obijceret, quod ipse procurauerit, multos homines in er-
rōres

rores gravissimos ruere? vel quod aliquem adegerit, vel protruderit violenter ad stuprum, vel incestum? Quomodo ergo hi audent profiteri, se credere Deum esse summè bonum: cui ea adscribunt, quæ nisi Tyrannis, Corruptoribus, Hæresiarchis, tribui possunt?

Inuehitur (& meritissimò) in quendam Caluinistam D. Ionas, quod Deum faciat authorem peccati. At nonne plus est adigere & protrudere ad stuprum, quam inducere aliquem ad illud? Evidem censeo, nullum Caluinistarum ita impudenter de Deo loquutum fuisse: ut loquutus est ille Italus, cuius illi sensus & interpretationes Scripturarum pro oraculis habent: à quibus nefas sic recedere. Fallit ergo, Confessionis Author: dum dicit suos Samosathenistas credere Deum esse summè bonum. Adigit ad stuprum: protrudit, violentat ad peccandum: procurat errores, &c & bonus est? Iam loca S. Scripturæ reuideamus, an eorum quæ afferuntur, aliquibus; Fides non dissonet Samosathenistarum.

Deus (inquit) intelligitur ille summus, quoties absolute voci Dei Articulus præfigitur. Bene habet. Ergo Filius Dei C H R I S T V S, est ille D E V S summus, ille unus. Nam voci illius Dei, qui Sanguine suo acquisiuit Ecclesiam, præfigitur articulus. Et ille Magnus D E V S & Saluator noster I E S V S C H R I S T V S, cuius adventum expectamus, & qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis, dicitur D E V S, præfixo articulo: & Iudæ quarto Versu, vocatur, cum articulo, solus dominator, & D E V S noster I E S V S C H R I S T V S. Si ergo verus est, allatus Scripturæ explicandæ Canon; necesse est Christum, esse cum Patre, vnum illum Deum, qui est Summus.

Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus (nomine Tetragrammaton seu Iehouæ) unus est. O, si ita est; cum ergo etiam Filius Dei C H R I S T V S in Scriptura vocetur Iehoua, necesse erit illum esse vnum illum D E V M. Vocatur autem Iehoua Sabaoth, seu exercituus

cituum (ut alia loca præteream) *Isaie 48. v. 2.* ille ipse, qui ibidem v. 16. ait, se missum à Domino Deo, & Spiritu eius : vel (vt Origenes Græcam vocem τὸν πνεῦμαν interpretatur) Spiritum eius. Vocatur Iehoua, *Isaie 40. v. 9.* ille ipse ; de quo infra dicitur ; sicut Pastor gregem suum pascet : Pastor nempè ille bonus, *Iordan. 10. v. 11.* & hoc *Isaie* loco ; & *Ezech. 34. v. 23.* propheticè prædictus. Vocatur Iehoua *Isa. 52. v. 5.* ille ipse, qui olim loquutus per Prophetas, & qui, tandem loquutus est per seipsum, dicens : Ego ipse qui loquebar, ecce adsum.

Matth. 12. Unus est Deus, & non est aliis preter ipsum. Quod ipsum probatur multis alijs locis, ita vt antiquus quidam Serueticorum Minister in Confessione sub Sigismundo Augusto edita, ad 200. loca eiusmodi recensuerit. Et reuera facile etiam ad 600. loca colligi possunt : quibus dicitur Deus ita unus, ita solus, vt nullus sit præter illum : nullus alter : nullus recens : nullus alius, nullus ultra , non aliis præter eum, nullus ei similis, &c. Hic Lectorem, cui animæ suæ salus æterna cordi sit, humillimè compello & obtestor : vt diligenter expendat, an non manifesti impostores sint, qui cùm solas Scripturas crepant, eis se solis credere clamitent ; propterque eas ipsas, toti orbi contradicere perseverent ; tamen tot tamque expressis Verbi Diuini oraculis munitam veritatem demoliantur, & nihil morati tam expressas, & tam multas exclusiones, ullius alterius veri Dei, ab illo uno, qui natura est Deus ; tamen audeant, plures veros Deos profiteri : alijsque proficendos præscribere : plures inquam, quam tota gentilitas ab orbe condito agnouerit. Audiatur ea de re, contra Patrem Smiglicum disputans Smalcius, in Monstris fol : 16. in fine, & fol : 17. *Vnum tantum Deum summum agnoscere ; unum tantum natura Deum colore, unum tantum independentem Deum confiteri est Iudaicum aliquid, & ab negatione quodammodo Christianæ Religionis.* Et fol : 14. *Contendimus, & firmissimè docemus, esse plures Deos, præter unum, eosq; veros.* Quid potuit disertius dici, contra Scri-

Scripturas toties inculcantes, etiam in nouo Testamento, vnum
 solūm D E V M esse verum? Ne autem putetur hoc subreptitium,
 pluribus verbis hanc tueri blasphemiam. At tu, mi Christia-
 ne, pro eo quo es in D E V M, tuamque salutem amore: in rem
 grauis momenti, interroga diligenter: An sit, alicubi, tam di-
 ferte scriptum, multos esse veros Deos, quam disertē scriptum
 est, illum solūm vnum D E V M esse verum. Et tamen hanc bla-
 phemiam Smalcius iterum inculcat in Refutatione lib: de Er-
 roribus, Fol: 36. *Etsi (ait) in Scriptura vox ista verius non prædicetur*
de aliis præter vnum Deum, tam celestibus, quam terrestribus; tamen
binc non sequitur eos non esse, nec dici posse Deos veros. En habetis
 Domini, confitentem reum, ille ipse qui ideo omnes Santos Pa-
 tres tanquam aniles fabulas (ita enim sæpè blasphemat) reiecit;
 quiq; tantum non tertio quoq; versu, solisse Scripturis credere
 clamitat, fatetur se docere id, quod nullibi docetur in Scriptura,
 sed potius in vitroq; testamēto cōtrarium. Nota etiam mi Lector,
 an non impudens huius hominis mendacium sit; cùm satis præ-
 sumptuose idem alibi nempē in Monstris Fol: 31. clamitat; quod
 Scriptura disertissimē doceat, multos esse veros Deos in cælo &
 in terra: cùm tamen ne vnicus quidem locus Scripturæ sit, quo
 dicatur aliquis esse D E V S, cùm hoc additō verus; præter vnum
 D E V M. Non vacat, nunc hominis, tantam Scripturæ contradic-
 tionem & impudentiam; pluribus refellere. Vnum dico. Si
 omnes iudices, omnes Angeli, omnes Reges, Principes, & Oecono-
 nomi, & Patres-familias, & quicunq; aliquam potestatem à
 DEO acceperunt; sunt omnes veri Dij, sequitur necessario, mul-
 tis millibus, plures esse veros D E O S apud Christianos, quam
 fuerint apud Ethnicos. Sequitur secundo: Vxores Principum,
 Iudicum, Oeconomorum, &c. esse veras Deas: & Filios carum
 Filios Dei: & Regem vel Monarcham aliquorum Dueum, Nobil-
 ium, Dominorum, &c. esse D E V M D E O R V M. Sequitur tertio, quod
 horribilius est etiam ipsum inferni tyranum, de quo dicit Job

cap. 41. ¶ 24. Non est potestas qua comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret: ipse est Rex super uniuersos Filios superbia; esse verum D E V M. Nam si Rex potestatem multò inferiorem habens, & multò pauciores subditos, est secundum Arrianos verus D E V S D E O R V M, vel saltem D E V S verus; debebit etiam iuxta eos, Lucifer esse verus D E V S D E O R V M, vel saltem verus D E V S. Ut autem vero Regi non exhibere Regium honorem, crimen est læsa Regiae Maiestatis: ita cultum Diuinum non exhibere, alicui vero Deo, sacrilegium: vel impietas, vel atheismus est. Nam Christus iussit reddi, quæ sunt Cæsaris Cæsari; quæ sunt D E I D E O: Si ergo iuxta eos Lucifer verus D E V S est, & alij Diaboli, veri dij vt pote (teste Saxone Smalcio in Concione Fol 13.) æquè Principatus & potestates, atque Sancti Angeli sunt; oportebit Politheitas (ita enim eos, vt potè multorum verorum Deorum professores, licebit appellare) reddere Diabolis tanquam Deis veris, quæ D E O vero competunt. *Sed de his bactenus.*

Calum & terram ego impleo, ait Dominus, Ier: 23. ¶ 24. Cali calorū te non capiunt, 1. Reg: 8. ¶ 27. At creditis hoc? quomodo virum nobilem non dedecuit, aliud hic scribere, quam quod à suis docetur communiter? Iam dixi, Politeitarum fidei mysterium esse: D E V M in solo cælo realiter & præsentialiter, alibi autem non nisi potentia, vel gratia esse. Clauditis ergo finibus cæli imo fortasse aliquot eius vlnis, immensitatem Essentiæ Dei, quem tamen cælis non capi, professus est Salomon 3. Regum 8. ¶ 27. & 2. Par: 2. ¶ 6. & cap: 6. ¶ 18. Et, qui Iob. 11. ¶ 8. dicitur *excelsior cælo, profundior inferno:* & de quo dicit David Psal: 138 ¶ 8. *Si ascendero in calum, tu illic es, si descendero in infernum, ades:* vt ideo manifestè aduersentur Scripturæ, qui negant D E V M esse omni loco, præsentem realiter: & secundum essentiam.

Nemo bonus, nisi unus D E V S, Mar: 10. ¶ 18. Hic iterum, Domini Politeitæ, necessariò debetis, vel conficeri Filium Dei

CHRISTVM, esse illum vnum D E V M : vel negare eum esse bonum. Id secundum, blasphemiam sonat: dicendum ergo est primum. Neque euadetis; si dixeritis Christum, non esse perfecte bonum: nam hoc ipso quod de bonitate eius aliquid perfectionis detrahetis, facietis eum malum. verissimum enim Sancti Dionysij axioma est: Bonum ex integra causa; malum vero ex singulis defectibus: & unusquisque, quatenus habet priuationem alicuius bonitatis, eatenus malus est.

C A P V T II.

Patrem omnipotentem.

ITerum dicit Confessio; *Unum solum Deum verum, esse Patrem.* dicatur ergo anathema Smalcio: qui (vt dixi) nomine totius sui cætus dixit: *Firmissime tenemus multos veros esse Deos.*

Dicit item eadem Confessio: *Deum illum unum, vocari Patrem, primum & singulariter I E S V Christi: deinde omnium credentium.* Ergo in veteri lege non fuit Pater? non fuit inquam Pater ante Augusti imperium? non fuit Pater ante mundum conditum? Quomodo ergo probabitur, quod Pater Domini nostri I E S V Christi, & Pater noster, sic ille D E V S altissimus, Creator cæli & terræ? Certè, hic æternus est: & non habet principium: Pater autem Domini nostri I E S V Christi, & noster, est Pater factus n tempore. An transiit de non esse Patris, ad esse Patrem? quomodo ergo non est mutatus Physicè? an mutatus? quomodo ergo est actus purus?

Omnipotentia quoque Dei, satis ab hoc Confessore angustis clauditur limitibus. Dicitur enim D E V S omnipotens, *quia omnia que promisi, largiri potest:* at hoc reuera non est esse simpliciter omnipotentem, sed tantum secundum quid.

Iam è locis Scripturæ aliquor expendam.

Aliquot locis probat: *Vnum solum verum Deum, esse Patrem ex quo omnia*: quod est verissimum: gratis tamen assumitur nomine Patris, ex quo omnia; solum intelligi Patrem Domini nostri Iesu Christi. Catholici credimus etiam Filium, Dei Christum, esse Patrem ex quo omnia, & esse Patrem omnium, & esse Patrem nostrum: tum quia Sanctus Paulus docet ad Rom: ii. §. ultimo, eundem esse Deum ex quo, per quem, & in quo, vel in quem sunt omnia: Christum autem esse cum per quem omnia, docet S. Ioannes cap: i. §. 3. & S. Paulus ad Heb. 2. §. 10. Eum in quem, vel in quo omnia; docet S. Paulus ad Colos. i. §. 17. Omnia per ipsum & eis aurov, in ipsum creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant; tum quia: iustius dici debet, Christus Pater omnium credentium: quam Abraham. Vocem autem omnia, in Epistolis ad Cor. & Ephes. locis citatis in Confessione, ad solos credentes restringit Smalcius. Verba illa ad Thessalonenses: *Gratia in Deo Patre, vel à Deo Patre nostro, & Domino nostro IESU Christo*; secundum Canonem aduersariorum, debent explicari de Christo: quia hic, voci Dei, non præfigitur articulus: quem tamen isti præfigi contendunt; quoties sermo est de Deo Patre: quodsi iste Canon hic fallit; dicemus Christum etiam ibi, vbi sine articulo Deus vocatur, significari, esse summum Deum.

Dei iudicij, cognitio, nihil hic ad propositum facit. Loca tamen citata ita explico. de die illa, neque Filius scit: in forma serui, secundum quam est minor Patre, & minoratus ab Angelis: Transeat. In Forma DEI, secundum quam est æqualis Patri, & vnum cum Patre. Nego. Ita enim ei considerato loquitur S. Petrus: *Domine, tu omnia nosti, Ioan: 20. §. 17.* & alij Discipuli *Ioan: 16. §. 30. Nunc scimus*, quia scis omnia; vel (ut ipsi Rak. interpretantur) omnes res. Sic: *De die illa nemo scit, nisi solus Pater*; excluso omni eo qui non est vnum cum Patre,

tre, Concedo : at cùm Christus dicat : Ego & Pater vnum sumus ; non potest non scire quod Pater scit : vt non potest, non esse, quod Pater est : vt pote qui solus dicere potest ; *Ego & Pater vnum sumus.* Salutationes Apostolicis Epistolis præfixæ, non habent articulum ante vocem Dei. Iterum ergo, vel eorum Regula, de Summo D E o ruit : vel (*iuxta eos*) in omnibus Salutationibus, solius Christi fit mentio : præsertim cùm neque voci Dei, neque voci Domini apponatur articulus.

C A P V T III.

Creatorem cæli & terræ.

Dicitur ibi : *Qui Creatore suo praterito, aut sine illius voluntate, creaturest religiosè colunt, in Deum iniqui habentur.* Hoc secundo membro, innuitur error Smalcij, passim docentis, posse D E V M velle & præcipere, vt aliqua creatura honoretur tanquam D E v s : quod falsum est. Nam tunc D E v s, commutaret veritatem D E I in mendacium : vt inuit S. Paulus in Confessione citatus, *Rom : 1. v. 25.* & esset causa peccati, v. g. Anthropolatriæ, vel simpliciter idololatriæ : quod D E o sine blasphemia, tribui non potest. Vnde ex hoc ipso, quod iussus est honorari Filius, sicut honoratur Pater ; conuincitur : quod Pater & Filius, vnum sint : seu, quod idem est, quod Persona Patris, & Persona Filii, sit vnum ille D E v s ; solus verus : & solus pro vero D E o colendus.

Loca, quibus probatur, vocem creationis, vel factionis, sumi pro renouatione non culpo : quamuis quædam ex illis non aduerti, quid faciant ad rem. At verba illa *Apoc : 14.* (non 16. vt impressum est) *v. 7.* *Timete Deum, & date illi honorem,* *quia venit hora iudicij eius : & adorare eum, qui fecit calum & ter-*

rum; malè assūmuntur ad probandum, D E V M Patrem, esse Creatorem cæli, &c. Hæc enim verba esse de Agno: patet tum ex initio capit is: cum quia Iudex, cuius iudicij hora, dicitur ibi venire; non est Pater, sed Filius: ut apud aduersarios in Confesso est.

Iam illa alia loca Mat: 4. v. 10. Dominum tuum adorabis, & illi soli seruies; & illa Exodi 34. v. 13. Non incuruabis te Deo alteri: valdè vrgent Politheitas. Si enim Christus, non est ille D E V S, cui soli seruiendum est; vel qui (iuxta Græcum tex-tum) solus colendus est; vel si, qui se incuruant Deo alteri ab illo uno D E O, peccant; peccabunt etiam Politheitæ contra expressum Dei præceptum, quoties colunt Christum: si is non est ille unus D E V S.

Hoc argumentum, adeò pressit Smalcium: ut cùm ea verba, à Christo obiecta Sathanæ, Pater ei Smiglecius obiecisset; responderit is, in libro, contra V E R B U M C A R O F A C T U M, Fol: 148. Verba illa Christi, non pro præcepto Euangelico; sed pro legali habenda esse: quæ pueritias Christus attulerit pro illo tempore; quo nondum erat illam potestatem consequitus: ob quam ei deberetur adoratio. quod falsum esse ostendo: primò; quia si hoc præceptum, non est Euangelicum, sed legale; Ergo etiam Præcepta Decalogi, apud Euangelistas, recensita; non sunt Euangelica sed legalia: & sicut hoc, Dominum Deum tuum adorabis, &c. iux-tacos non obligat in noua lege; cùm nos nulla legalia obligent; ita neque Decalogi Præcepta obligabunt: quod tamen est falsissimum.

Secundò, Christus tunc, cùm hæc dicebat: Dominum Deum tuum, &c. vel erat cultu Diuino dignus: vel non: sicerat. Ergo iam tum habuit illud, propter quod deberet cultu Diuino coli: quod tamen Smalcius & alij, eius Scholæ negant; si non habuit; Ergo Anthropolatræ fuere Magi: qui in Bethleem procidentes adorauerunt eum: & incuruauerunt se alteri ab illo

illo vno Deo: maximè quòd nondum fuerit hoc præceptum, quo suum cultum creaturæ exhibitum, Poliheteræ defendunt. Anthropolatra item fuit cæcus ille, *Ioan: 9.* qui procidens adorauit eum; tanquam Filium Dei cultu Divino colendum: in quem credere omnes fideles oporteat. *¶ 39.* Tertiò, quæ erat necessitas, Christum tunc mimizare, vel, clarè loquendo, iudicare? (id enim est mimiticè loqui) Nunquid sine Iudaismo, non potuit refellere tentatorem?



CAPVT IV.

Et in I E S V M C H R I S T V M.

Creditis in I E S V M? Quem? illumné, quem in terris visum, & cum hominibus versatum, D E V M, vocat *Ba-ruch 5. ¶ 37.* Illumné, quem Isaias, etiamnum paruum, vocat D E V M fortē, & Patrem æternitatis, (vt ex Hebræo vertit Tremellius & Seruetiani Zaslauienses Ociec wie-
gnosći) *cap: 9. ¶ 6.* & patientem percussum D E V M, iuxta Hebr. textum *cap: 53. ¶ 4.* Illumné, de quo idem loquens Isaias *cap: 35. ¶ 4.* ait: *Deus ipse veniet, & saluabit vos:* quæ verba ipsemet Christus, de se dicta esse; missis ad se à Ioanne Discipulis, significauit *Mattib: ii. ¶ 5.* In illumné creditis Saluatorē (eum enim sonat vox I E S V) quem D E V M appellant, tum S. Paulus *Tit: 2. ¶ 10. & 11. & 13.* & *Tit: 3. ¶ 4. & 20. ad Timot. 1. ¶ 1.* tum S. Petrus, *2dæ Petrii: ¶ 10.* tum S. Iudas solum Sapientem Deum *¶ 25,* iuxta Græcum textum? vtinam hoc crederent! tum vero eos, verè, esse Christianos crederemus. at quia nunc talem illi sibi fingunt I E S V M; qualem nec Prophetæ prædixerunt: nec Apostoli agnouerunt: ideo immerito dicunt se credere in I E S V M. Vnde etiam Author Confessionis, nihil hūc penitus

penitus egit, de I E S V ; sed tantum de Christo. Quanquam & de hoc alium assert sensum ; quam de eo habuerint ; ab omni memoria veri Christiani.

Veris Christianis Christus creditus est non tantum esse Summus Sacerdos, vel Prophetæ : (nam talis Christus, erat etiam Aaron : & Elias, & Zacharias : vel maior Prophetis S. Ioannes Baptista :) nec tantum esse Euangeli Author & assertor : (nam talis Christus : fuit etiam S. Ioannes Baptista : & SS. Apostoli) nec tantum Summus cælestis Rex : (nam talis Christus, erat aliquis ante Christum, Angelus, Beatorum Spirituum Princeps :) sed creditus est D E v s ipse : quem ad nos saluandos venturum promiserat Isaias : loco proximè citato : creditus est esse ille Iehoua exercitum, qui *Isa. 48. ¶ 16.* ait se missum à Domino Deo, & Spiritu eius. Creditus est, esse ille Iehoua ; de quo Zach : 2. ¶ 8. dicitur : *Hec dicit Iehoua exercitum, post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos : qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei : quia ecce ego leuo manum meam super vos, & cognoscetis, quia Dominus exercitum misit me : vbi manifestissimè persona missa dicitur Iehoua Sabaoth, seu Dominus exercitum.* Creditus est Christus esse Emmanuel : nobiscum D E v s : non ita, vti erat cum Gedeone vel cum Iudeis, per gratiam & protectionem ; sed speciali ratione : nimis, quam Verbum (quod erat in principio : quod erat apud D E v M, *Ioan. 1.*, in sinu Patris, *Ioan. 1.* ¶ 18, in Patre, & in quo Pater, *Io. Ioan. ¶ 11.*) secundum Prophetas, missum in mundum, *Ioan. 3. ¶ 17.* & alijs locis apud S. Ioannem frequentissimè : Verbum veniens, in mundum per se factum : *Ioan. 11. ¶ 27. & 30. & 1. ¶ 10.* Verbum de cælo veniens, & supra omnia επανω παντων existens : *Ioan. 3. ¶ 31.* Verbum Cato factum, *Ioan. 1. ¶ 14.* quæ ultima verba cum habeant, versiones non tantum Latinæ omnes, ad hunc usque diem ; sed etiam Siriaca, Persica, Æthiopica, Aegyptia, Arabica, Polonica, etiam à Seruetistis primis,

mis, Zaslauiae Lithuanorum anno 1572. edita, & altera Ne-
suisiensis; cum eadem verba ab omnibus Latinis Scriptori-
bus, usque ad Socinum, nunquam aliter fuerint lecta; quid
aliud nisi desperatio, & clarissimæ veritatis hostile odium, ad
reiciendam à toto orbe 15. seculis receptam versionem; &
nouam, toti orbi inauditam configendam, Politheitas indu-
xit? Sanè pertinax concepti erroris præiudicium tantoperè eo-
rum animos occupauit, ut eorum magnus Rabbi Saxo, non
erubuerit hæc verba effutire, *Homil.* 8. *Fol.* 89. *Etsi, non semel*
ac iterum, sed satis crebro & apertissimè scriptum extaret, Deum esse
hominem factum, multò satius esset (quia hæc res sit absurdæ, & sane
rationi planè contraria, & in Deum blasphemæ,) modum aliquem di-
cendi comminisci, quo ista de Deo dici possint: quam ista simpliciter,
ut verba sonant, intelligere. Ita ille. En habetis Domini Poli-
theitæ vestri Primarij Theologi dogma: Scripturam, non ex
significatione verborum, sed ex iudicio priuato vnius alicuius
Ministri, esse intelligendam. Quid queritis à nobis? ubi scri-
ptum sit, Tres Personas Diuinas esse unum Deum? cum si e-
riam non semel, sed saepius hoc scriptum esset, ita tamen hoc
negaretis, ut vestri primarij cætus Doctor, negavit credendum
esse, Deum esse hominem factum, et si id saepius scriptum esset.
Profectò si res absurdæ, si sanæ (id est vestræ, nam extra vestræ
nullib[us] est sanæ) rationi, planè contraria videtur, Deum fa-
ctum esse hominem: multò forte absurdior, & magis contra-
ria vestræ (id est soli sanæ) rationi, videretur; Tres Personas
Diuinas esse unum Deum.

Credunt ergo, & ab omni memoria crediderunt Christiani, per totum orbem diffusi; quod Christus est Verbum Caro
factum: seu Deus homo: significatus verbis Sdentis in Thro-
no & Agni. In hunc Christum, quicunque non credunt; ve-
lint nolint Christiani non sunt; quia in talem Christum cre-
dunt; qualis admodum similis est; ei; in quaem credunt Tur-
cæ:

cæ: quod etiam fecit: vt Albani in Transyluānia Ministri, (Antiuieco testante, & approbante) Polo. Fol: 24, moneant Letorem; vt legat Alcoranum: promittantque; plura ibi cum præclara, & pulchra reperturum de Christo. Addit Antiuiecus, Catholicos ita cæcos esse, vt plura de Christo agnouerit Machomet, quam agnouerint titulotenus Christiani. Quidni ergo Machometani dicantur Christiani à fide in Christum? Certè si illi plura agnoscant de Christo quam Catholici, cur non eis potius, à fide in Christum talem, tribuatur nomen Christianorum, quam Catholicis & Euangelicis omnibus? sed nimis Turcæ in talem credunt Christum, qualis colitur à Politheitis; non qualis per tot secula colitur à Christianis.

C A P V T V.

Filiū eius vnigenitū.

BEnē habet: quod Confessionis Author credit in Filium Dei vnigenitum: nisi hīc eiām, fuci & imposturæ suspicionem faceret; Primò: quod cùm plurima loca Scripturæ afferat; omiserit illa, quæ eum testantur esse Filium Dei, coæternū Patri, cuius egressus sint à diebus eternitatis, Mich. 5. v. 2. Qui genitus sit ante Luciferum ex utero à Ieboua. Psal: 109. v. 3: Qui sit sapientia, concepta, parturita, edita ante orbem conditum. Prou: 8. v. 22. Cuius generatio sit inenarrabilis. Isa. 53. v. 8: Qui sit primogenitus omnis creature: id est genitus, ante omnem creaturam, Colos: 1. v. 15: qui denique sit Filius, non illa Filiatione, qua Prophetæ & Angeli: sed illa qua sit ipse, figura substantia Dei: cui dixerit olim David: Tu Domine in principio terram fundasti: Et opera manuum tuarum sunt cali: Ad quem solūm dixerit Pater: Ego ero illi in Patrem, Et ipse mihi in Filium: qui
(inquam)

(inquam) sit *Filius verus*, i. *Ioan: 5. v. 20.* & *proprius eius*, id est *Dei Patris*, *Rom: 8. v. 32.* Hæc omnia cùm omiserit Confessor, prodidit, se, nimis diminutum de *Filio Dei* habere sensum: talemque illum, se facere *Filium Dei*; qualis ipse censeri *Filius viri nobilis* nolit: nempe etsi inter adoptuos primum; tamen adoptuum: ita ut multo sanè potiore iure *Adam*, vel aliquis Angelorum dici deberet *Filius Dei* verus, & proprius; quam *Christus*.

Tituli quos Confessionis Author affert, facere nequeunt ut *Christus* dicatur proprius *Patris Filius*: multò minus ut dicatur *vñigenitus*. Diuinâ certè virtute (tantò propè miraculo, quantò si ex *Virgine* conciperetur) à sterili matre conceptus est, *S. Ioannes Baptista*: fuit magnus amore, apud *Deum*, & similitudine cum *Deo*, *Spiritusque Sancti* copiâ, muneris etiam dignitate, & viuendi rigore planè singularis: neque tamen fuit *Filius Dei*, proprius: vel *vñigenitus*. Deinde ante *Christum*, *Elias v.g.* suo æuo, fuit, inter omnes *Dei filios* excellentissimus: & teste *Saxone*, ad statum immortalitatis translatus: denique aliquis Angelorum supremus, ab orbe condito, fuit; quoad eadem omnia, inter omnes filios *Dei* excellentissimus: neque tamen yllus dictus est, nec dicetur *vñquam*, *Filius Dei Patris* proprius: & *vñgenitus*. Quamobrem dum *Domini* Politheitæ tam diminutam Christo tribuunt Filiationem, tantam ei inferunt iniuriam: quantum ego inferrem *Domino Fagetano*: si dicerem cum, in hoc solo sensu esse *Fagetanum*; quod quidam *Fagetanus*, eum ex sua ancilla, se volente nuptâ genitum, in suum acceperit filium: eumque egregie excultum, ad magna Ecclesiastica munia extulerit: & bonorum suorum hæredem fecerit: negarem autem, eum ex nobilis *Fagetani* natum essentia & sanguine: idque pro causa afferrem; quod *Fagetanus* (cuius ipse se dicit filium:) non aliter (ut potest sterilis) filios generare potuerit: vel si dicerem, tam verè eum

non posse esse nobilem, cūm sit Filius nobilis: quām verē ab illo dicitur; Christum non posse esse Deum, cūm sit Filius Dei.

Loca Sacræ Scripturæ allata de Filiatione Christi, non integrum Christi, ex generatione fluentem exprimunt dignitatem: ideoque tantū valent; quantum valerent testimonia, quæ ego ad probandum aliquem esse verum filium viri nobilis asserrem: quibus is dicceretur, à viro nobilivnicè dilectus, filius: non è substantia genitus, sed viro nobili volente, ex ancillatus, ditatus, & institutus hæres omnium.

C A P V T VI. Dominum nostrum.

Christum, esse Dominum nostrum; optimè confiterur Author. sed hic quoque tumulus videtur ludæi.

Quæro enim: Christus ante Ascensionem suam, sicut Dominus perfectè an non? si fuit, cur ergo vestri Scriptores passim negant, Christum fuisse perfectè Dominum, antequam in cælum assumptus esset? si autem dicetis, quod non fuit, quomodo non blasphemari eritis, faciendo Christum fallacem; ne dicam quid grauiùs? Quando enim dicebat Christus *Ioan: 13. ¶ 13. & 14.*: *Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Magister & Dominus, &c.* vel erat Dominus vel non? si erat; quare id negatis? si non erat; quomodo verbum Christi verax est? Sic cūm aiebat: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, Matt: vlt.* vel eam tunc habebat, vel non: si habebat; cur negatis? si non; vt dicitis; quomodo dicendo id, non facitis mendacem, vel saltem falacem Christum? Deinde quæro: estne Christus omnium Dominus, quorum Dominus est Pater, an non? Scio à Smalcio doceri

doceri in lib. de Diu. cap: 19: Quod Christus tantum populi Di-
uini Rex est: & in eum, & in ea tantum habet imperium, quæ
& quatenus ad regimen Ecclesiæ pertinent: cum (ut ibidem,
& clarius, in Concione fol: 19. & 26, loquitur) solus Deus Pa-
ter, cælum, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, conserua-
re & regere possit. Hunc qui sequuntur; omnino negant,
Christum factum esse hæredem vniuersorum: quod tamen di-
sertè docet Apostolus ad Hebr. i. §. 2: & S. Petrus Act. 10. §. 36.
Hic est omnium Dominus. Quod si etiam hic limitatio assigne-
tur; Peto à Domino Iona: doccat: quomodo clarius potue-
rint Apostoli loqui, Christum sine villa limitatione omnium
creaturarum esse Dominum: quam quando dixerunt eum esse
Dominum omnium & hæredem vniuersorum!

Loca Scripturæ, in Confessione adducta, non indicant,
hanc Dominij Christi limitationem, quam Politheitæ finxe-
runt.

CAPUT VII.

Qui conceptus est de Spiritu Sancto.

Tria hic obseruo. Primum: quod Confessionis Author
fateatur Christum Dominum, mox à sui conceptione fuisse
Divino Spiritu & virtute repletum. Non tamen putet
homo Christianus: credi ab his hominibus, Christum à suæ
conceptionis instanti, fuisse plenum Spiritu Sancto: plenum Sa-
pientia: & virum; (ut loquitur Hieremias) à fæmina circumda-
tum: seu ut clarius loquar; nemo existimet credi ab eis, quod
Christus infans, habuerit usum rationis: id enim illi adeo per-
tinaciter negant; vt Smalcius in Monstris hoc inter impossibili-
ta reponat fol: 184: ubi etiam plenum sapientia Christum, di-
cit; id est tanta; quantam etas infantilis capiebat. Certum vero
est;

est; àtatem infantilem, præciso miraculo, nullius sapientiæ actualis, (nam habitualem is, satis superciliosè, tanquam animal fabulam reiicit) capacem esse constat. Idem, *Libro de Dei Filio Fol: 80.* repletum, ait, *Christum, spiritu Sancto;* non quòd, is Spiritu Sancto regeretur: sed actus suos ad normam Diuinae voluntatis dirigeret: sed quòd à Deo regeretur, & gubernaretur. Ergo iuxta eum, in eo solo sensu, Christus infans, dicitur repletus Spiritu Sancto; in quo deberent dici repletæ Spiritu Sancto quæcunq; creaturæ: etiam Dæmones: cùm & hos Diuino regimini & gubernationi subiectos esse idem ipse Smalcius fateatur, in lib. de Diu. Pateat ergo: magnam his verbis (Repletus Spiritu S.) subesse, imposturam: nisi Author, à suorum cætuum communni doctrina, recesserit.

Secundum, Ait *Christum quatenus virtute Altissimi genitum,* esse *Filiū Dei unigenitum.* At hoc falsum est. Nam ut supra dixi: etiam S. Ioannes Baptista, & Isaac, & Samson, virtute Altissimi, geniti sunt: primi etiam Parentes, à solo omnino Deo producti sunt: neque tamen ullus eorum, fuit Filius Dei unigenitus.

Tertium: ait *Christum, quatenus ex Beata Virgine genitum esse Filiū Dauidis.* Hoc verum est. At hīc soluendum erat Christi Argumentum, *Matt: 22.* Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo Filius eius est? (scilicet non occurrebat iudæis prædestination; ad quam hīc recurrunt Politheitæ:) explicandumq; esset: quomodo Christus Filius Dauidis sit; si Mater eius non fuit è Familia Dauid: vti docet Smalcius Lib: de Diu. cap: tertio, contra communem sententiam Doctorum Ecclesiæ.

Loca Scripturæ hīc ab Authore Confessionis allata, nihil ad propositum Articulum pertinent: excepto primo. Præstiterat locum paulò ante citatum ex Isaia afferre: vbi Ichoua dicitur missus à Ichoua & Spiritu eius: vel alios similes.

CAPUT VIII.

Natus ex MARIA Virgine.

HI C habeo gratias Authori, quod Matrem Domini nostri IESU Christi dicat Sanctissimam: inter omnes benedictam: ab omni generatione beatam dicendam: ex singulari Dei gratia, in Matrem Dei dilectam: quam, summa animi modestia, vitaq[ue] sanctitas reddiderit Deo commendatam: denique Virginem etiam in partu, & post partum purissimam.

Ago, inquam, gratias: quod à suis Collegis, in loquendo de Sanctissima Dei Matre recesserit. Nam primò Smalcius negat esse Sanctissimam: in Concione Fol: 32: quam eius negationem, intense tueretur Bebelnius contra Ostroium Fol: 83. & 84: ubi dicit *valde culpabiles esse coram Deo, qui eam inter creaturas Sanctissimam censem*: & negat eam Apostolis esse sanctiorem. Rursus Smalcius in Refutatione libri de Erroribus, suum in Sanctissimam Dei Matrem odium, testari voluit: tum Fol: 15. ubi negat eam dici posse, Reginam cœli: et si Mater sit Regis cœlorum. Ergo (inquit) quia Christum peperit, M A R I A, Regina cœli censenda est? O idolatria, excacatas mentes! O mi Saxo, quam saxa vbiique loqueris! Respondendum erat Patri Smiglio quærenti; Quare Mater Regis Regum, & Mater Regis cœli & terræ, & Mater Dei, & Domini nostri, nequeat dici Régina cœli: sed tu maluisti calatum in conuitia effundere, quam ad quæsitionem respondere.

Arrodit ibidem dictum Patris Smiglicij, quod M A R I A omnia per Filium suum possit, ut Paulus ait: se omnia in Christo potuisse. Quid h[ic] displiceret? Paulus (inquit) hoc dicebat viuens, Maria verò mortua est. Ergo quid? Ergo Anima eius nihil per Filium potest? an & Anima eius mortua? Sed de hoc infra. Idem Fol: 144, negat dignitatem Matris Dei, (ad quam tamen

Confessionis Author, Beatam & Sanctissimam Virginem, ex singulari Dei gratia delectam, verissime docet) preferendam esse dignitati Apostolica: immo dignitati omnium fidelium. Idem dicit. Constatere omnibus, eam nunc non viuere, ne dum in celis esse: Et nostras preces exaudire, ideoque in summo errore, Et turpi idololatria, versari Pontificios.

Eiudem Sanctissimae Matris honorem, magna contentione impugnauit Stoinsci, in Relatione Disputationis Lublinensis: cuius coniunctio in tantam Matrem coniecta, non debet dissimulare.

Ait primò. *Quid idololatria est, si hoc non est? Beatam Virginem Mariam, cum Authore omnis gratiae, in laude & gloria eterna ita coniungere; quomodo Sacra Scriptura Christum cum Deo Patre, coniungit?* Erras mi Stoinsci. Idololatra est, qui creaturæ exhibet honorem soli Deo debitum: Idololatra est, qui pro veris Deis agnoscit & veneratur omnes Angelos, Reges, Principes: Idololatra est, qui verum Deum credit etiam Dæmonem: ut potè cuius potestas supra omnem comparationem sit. Iob 41. ¶. 24. Quales an non sint Politheitæ; iudicent ipsi. Nos Matrem Dei Sanctissimam honoramus: non eo honore quo honoratur verus Deus: sed eo quem meretur dignitas Matris Dei: Matri inquam huius; quam Elisabeth Spiritu S. plena in tantum venerata est, ut diceret, Luca 1. ¶. 43. *Vnde mibi, ut veniat, Mater Domini mei ad me?* quam admirabili Legatione honorauit Deus: honorifica salutatione, compellauit Angelus: ijs gratiarum prærogatiuis ornauit Spiritus Sanctus, quæ facere possent, dignam, Filio Dei Patris, Matrem. Quodsi præcursum, eius Domini, eam oportuit præstantiam, & (vti loquitur Saxo Lib. de Diu : cap : 3.) Diuinitatem babere; ut ex ea facilè colligi posset præstantia, & Diuinitas Christi; quantò maiorem oportuit Matri Dei inesse præstantiam: (non enim loquar Diuinitatem:) ut ex ea colligeretur; quantus esset Filius: qui in ea de Spiritu S. conceptus: & illæsa Virginitate natus est.

An.

An verò vos (ignoscite Domini) sine intellectu estis? ut putetis, Christum non velle honorari Matrem suam, cui ipse subiectus erat? an tu ipse, mi Stoinski, non impius, in matrem tuam esse; si impedires aliquam laudem, vel honorificam mentionem eius, ab aliquo amico vel consanguineo, factam? Putas à viuente Christo, non ita diligi honorem Matris suæ, ut tu diligis honorem matris tuæ? Deinde nihilne præ alijs, debeamus illi, quæ in alendo Seruatore nostro, tam diuturnos labores sustinuit?

Salutari iubet Apostolus Mariam quandam, Rom: 16. ¶ 6,
qua multum (inquit) laborauit in vobis; nos eam non salutemus,
qua præter graues labores, quos in educando filio suo sustinuit;
illum ipsum Filium, quem millies vita sua habuit chariorem,
pro salute nostra pati & mori, patientissimè tulit?

Commendo vobis (ait ibidem Apostolus) Phæben, ut eam suscipiatis dignè sanctis, quia ipsa quoque astitit multis: vel (ut alij interpretantur) fuit opitulatrix multis: & nos eam non honoremus, ut dignum est, summa eius sanctitare, & singulari maternitatis dignitate; qua Christo viuenti & morienti astitit semper? cuius Salutationis sono excitatus in utero infans, gaudio exiliit? qua in opere nuptiarum Cannensium miraculo à Filio imperato, succurrit? qua quotidie plurimis, qui eius expertunt opem, plurima impetrat beneficia: ut experitur orbis Christianus, quidquid aduersarij negent.

Salutate (ait idem Apostolus ibidem) Matrem Rusi & meā: & nos non salutemus Matrem Domini nostri? Matrem, de qua natus est Iesus? Matrem illam, de qua quod natum est, Sanctum est? de Spiritu Sancto est? Verbum Caro factum est: non salutemus Matrem nostram? cui nos Crucifixus Redemptor, admirabili benignitate, in persona S. Ioannis tradidit in filios, & quam nobis omnibus, in eadem persona, dedit in Matrem?
Iohn: 19. ¶ 26. & 27.

Nimis honorificatos sibi, factos, Dei amicos, exclamat David
Psal. 139. v. 17; & nobis sine honore sit Mater Dei? nobis in-
 quam, qui sciamus, non minus dedecus Filij esse Matrem sine hono-
 re, quam Patrem, *Ecclesiastes 3. v. 13?*

Probro Matris in Polonia, viris nobilibus, nihil grauius
 est: & credere possumus, demolitores honoris Matris suæ, æ-
 quo posse intueri oculo, Regē Regum? Incredibile est, Filium
 omniscium, probra Matris suæ, non sentire: quæ in eam plu-
 rima iaciunt, filij serpentis illius, cuius illa caput per Filium
 contriuit.

Et quæ dignior Mater est, ut dicatur *Mater honorificata*, *Ecclesiastes 15. v. 2?* quæ Mater verius usurpauerit verba illa *Ecclesiastes 25*. Ego
Mater pulchre dilectionis, &c. quam quæ genuit Filium, qui pro-
 pter nimiam charitatem, animam suam, posuit pro nobis?

Quanto in honore, apud Iudeos fuit Arca! locus Sanctus! Tem-
 plum Sanctum! quanti arcæ habiti honores! quanti tem-
 plo! & quid hoc utrumque, ad uterum illum, quem *Virtus Altissimi obumbravit?* in quo non Manna nec Tabulae Moysis; sed
 VERBUM CARO FACTUM, quod erat in principio, Deus, Dominus Sabbathi, maior templo, *Matthew 12. v. 6*, ceu in quodam cæ-
 lesti palatio habitabat?

Adorate, ait David *Psalms 98. v. 5*, scabellum pedum Dei, quia
Sanctum est; vel *Cum ex Hebreo vertitur: Incurvate vos ante sca-*
bellum pedum eius: quia sanctus est: & non honoremus, Taberna-
culum illud, quod Altissimus sanctificauit, Psalms 45. v. 5? & funda-
uit, Psalms 86. v. 5? cuius fundamenta in montibus sanctis? *Ibid. v. 1*.
 Absit: honorabimus, quantum poterimus, præ alijs illam: quæ
 Diuinorum gratiarum plenitudine (*ut ait S. Gregorius*) me-
 ritorum verticem, supra omnes Angelorum Chorus ad Solium
 usque Deitatis erexit.

Rumpatur: quisquis rumpitur inuidia.

Cæterum hic, par est et erubescere eos; qui cum nobiscum
 credant;

credant; Deum factum hominem, in Utero Virgineo habitasse; eidemque ut Matri fuisse subditum; doceant tamen, ne tantum quidem honorabilitatis, sua personali habitatione, Virginis Matri conculisse; quantum contulerat Arcæ vel Templo.

Contemptibilem animam, abominatam gentem, dicit Dominus Isa. 49. v. 7, à Regibus adoratum iri, propter Iebouam, qui est Fidelis & Sanctus Israël, qui elegit eam. Quæ vero excellentior, contingere huic Virgini potuit electio, quam eligi ad hoc; ut sola Virgo Mater esset? sola haberet in Utero ex Spiritu sancto? sola posset, se dicere veram & propriam Matrem Filij illius; cuius se verum & proprium Patrem dicere nemo posset alius, nisi Deus Altissimus? nonne ad Sapientiam Dei pertinebat: ut præ omnibus Sanctis, cælestibus diuinitiis cumularetur Virgo illa; quæ Mater debuit esse illius Filij: quem æternus Pater, suum verum & proprium Filium confessurus esset? nonne decentissimum erat? ut vel ex ipso Matris Sanctissimæ aspectu, Angelorum intellectuum, cogitationes, ad pulchritudinem internam Christi Domini eleuarentur; & assurgerent?

Falso ergo dicitur, idolatriam esse, venerari Sanctissimam Dei Matrem cultu ei conueniente. Tunc conuinceremur, idolatriæ, si quis probare posset, a nobis doceri, quod aliqua creatura possit dici; & esse, verus Deus. Cultus enim Diuinus apud nos; consistit, in altissima alicuius estimatione: qualis est, censere vel dicere, aliquem esse verum Deum. Unde ipse Saluator noster; cum exprimere voluit cultum Altissimo Deo debitum; non alijs usus est verbis, quam ut cognoscamus illum, verum Deum: quam denominationem tantam esse censuit, ut eam soli tribuerit Creatori. At nos Dei Matrem honoramus (Αξιος των αγιων) dignè Sanctis; reddimus ei gloriam Sanctorum, tanto sublimiorem, quanto eam præ alijs, a Filio dilectam, ornatam, exaltatam credimus: quæ tamen gloria, est infinitè minor, omni honore, & cultu Diuino.

Neque tantoperē offendī debuit Socinus, vel Smalcius,
quod laudi vel honori DEI & Christi, laudem Deiparæ con-
iungamus.

Frequens similis coniunctio; Sacris Scripturis est. Hono-
ratur DEVS fide: & tamen dicitur Ex. 14. ¶. 31. Credidit populus
DEO & Moysi: vel (quod disputator Leuartouiensis in sui nau-
fragij, tabulam ultimam arripuit) in DEVUM & Moysem. Honoratur
DEVS fide & charitate; & tamen dicitur Col. 1. ¶. 4. Audien-
tes fidem vestram in Christo IESU: & dilectionem quam habetis in
Sanctos omnes: quod repetitur & ad Philemonem 5. Honoratur
timore reverentiali: & tamen dicitur 1. Regum 12. ¶. 19. Timuit
omnis populus Iebouam & Samuelem. Honoratur exaltatione vir-
tutis & potentiae; & tamen dicitur Iudic. 7. ¶. 18. Clangite & con-
clamate Ieboua & Gedeoni: & ¶. 21. Gladius Ieboua & Gedeonis,
Honoratur DEVS petitione benedictionis, & tamen cum dixi-
set Iacob Gen. 48. ¶. 15. Deus qui pascit me, &c. subdit ¶. 16: Angelus,
qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: & inuocetur su-
per eos nomen meum: nomina quoq; Patrum meorum Abraham &
Isaac: quod velim expendere eos, qui negant Sanctos post obitū
esse inuocandos. Amplius: Honoratur DEVS obsecratione &
obtestatione: & tamen dicitur 1. Timot 5 ¶. 21. Testor coram DEO
& Christo IESU: & electis Angelis. Honoratur DEVS Apoc. 1. ¶. 4.
cum dicitur, Gratia vobis & pax a Deo &c. & tamen ibi additur:
& a septem spiritibus &c. Honoratur DEVS adoratione: & tamen
dicitur 1. Paral 29. ¶. 20. benedixit omnis Ecclesia Domino Deo Pa-
trum suorum; & inclinauerunt se: & adorauerunt Iebouam & Re-
gem. Nota Stoïnsci adorationem Iehouæ coniungi cum ado-
ratione hominis. Præterea gloria Maiestatis Diuinæ coniun-
gitur cum gloria & maiestate Angelorum, Luce 9. ¶. 26: Pecc-
ari dicitur in Deum & Moysem, Num: 21. ¶. 7: Act: 6. ¶. 11.
Denique Dauid in tribus ultimis Psalmis: in quibus ore omniū
creaturarum, laudat Dominum; hanc ipsam laudem coniungit
laudi Sanctorum versibus. ¶. 14. 91.

Quin-

Quinimò ipse D E V S coniungit laudi seruorum suorum suam laudem : cùm dicit 4. Reg : 19. ¶. 4; Urbem hanc satuabo, propter me, & propter David seruum meum : quod ipsum repetit Isai. 37. ¶. 35. & Isai. 65. ¶. 81. Sic faciam propter seruos meos, ut ne disperdam totum. Hic videat æquus Lector, an non grauiter fallantur ; qui arguunt impietatis eos ; qui persuasi sunt, Christum precibus Matris suæ flexum ; dicere subinde : Protegam vos propter me, & propter Matrem meam.

Nouerant Iudæi, huius Diuinæ propensionis, in seruos suos efficaciam : ideo orabant Isa. 63. ¶. 17. Conuertere propter seruos tuos, tribus hereditatis tuae ; & Isai. 63. ¶. 17 ; & Daniel. 3. ¶. 34. & 35. Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abramum dilectum tuum : & Isaac seruum tuum : & Israel sanctum tuum.

Desinant ergo Politheitæ tantoperè improbare hanc coniunctionem : quæ Sacris Scripturis est adeò frequens : neque ulli repugnet rationi : cùm honor, qui coniungitur honori Dei, sumatur in sensu accommodato : in eum modum, quo quis in Comitijs diceret : Gratia, vel gloria Regi : Senatus : & Ordinibus : vbi (quod ipsum dicendum de similibus) gratiæ vel gloriæ initio positum nomen, distribuitur in subiectis ; iuxta cuiusque capacitatem.

At enim instat Stoïnscius, vbi ullum Dei præceptum exstat, de Virgine Maria, (noluit eam, etiam Beatam dicere ; qualis tamen ab omni generatione dici deberet :) huius generis cultu collenda ? A quo ego vicissim quæro. Mi Domine : Illudne tantum faciendum est, de quo aliquod præceptum, extat ? at vbi quæso præceptum est Melchisedecho panem & vinum offerre ? vbi præceptum Abeli, ut de suis primitijs offerret Deo ? vbi præceptum Salomonis, tot armenta offerre, quot in templi dedicatione obtulit ? & tamen hæc placuere Deo. Sic : vbi scriptū præceptum, de retinendo statu viduitatis, de iejunando omnibus diebus vitæ suæ, de cilicio super lumbos ferendo ? (quæ aliqui-

aliquibus ~~etiam~~ ~~per~~ ~~peccata~~ sunt) & tamen hæc in Iudith, & in Anna Phanuelis, à Spiritu Sancto laudantur. Centena cùm talia legas, in Scriptura, mihi Stoinski, adhuc quætere audes, ubi præceptum ullum sit de honoranda Dei Matre? An tu Deum non honorares, nisi de hoc præceptum extaret? atqui in hoc Ethniciis deterior es. Denique (ut petita venia) ad te conuincendum, hoc etiam utr modo: Quæro; an non tu ipse, magnam tibi dices inferri iniuriam: si quis te diceret honore indignus: si negaret te ex legitimo matrimonio (ut pote non Sacramentali) natum: non cælum terramque cieres? atqui is tuus obtrector, merito tibi oggereret tuum axioma: *Vbi de hoc præceptum extat*, ut ego te censeam honore dignum, & legitimè natum? Tu contra tot millium Doctorum, Régum, Principum, Senatorum, & vix non totius Orbis Christiani assensum, negas Dei Matrem debere honorari, quia de eo nullum præceptum extat: cur igitur vis honorari? cur indignaris, si non honoreris? certè de te honorando, nullum præceptum extat. Nam si aliquid commune produxeris; prodes, te sine intellectu esse; qui præcepto communi, de alijs honorandis, Matrem Dei includi nolis.

Soluat hic etiam unum dubium Stoinskius. Possimusne inuocare Christum an non? Si dixerit quod non: etiam à suis met arguetur impietatis. Si dixerit quod possumus; urgetur sic: Atqui de hoc nullum expressum extare præceptum disertissimè testatur Antigurcius *Fol: 358.* & sapientius docet Socinus contra Blandratam: dicens non teneri nos ad inuocandum Christum: eò quod de hoc nullum extet præceptum.

Si tamen omnino expedit Stoinskius, scire hoc præceptū: dico ibi præceptum esse: ubi iussus est honorari Deus, in quem honor, Matri Dei, exhibitus, ita redundat; ut honor Matris Regum, in Reges. Ibi præceptum est; ubi iussi honorari illi quos honorari vult Deus: Matrem verò suam, quod velit Deus,

& Domi,

& Dominus noster Christus, etiam modo, honorari: negari, sine blasphemia, afflictæ Christo in Matrem in pietatis, non potest. Ibi præceptum est vbi dicitur *dedecus Filij esse non honoratus Pater: vel (ut cùm alijs Zaslauienes vertunt) Probro est Filio Mater non honorata.* Ibi denique: vbi dicit Christus, *exemplum se dedisse nobis: ut faciamus quod ipse fecit.* Cùm ergo, Christus, tantò perfectius honorauerit Matrem suam, quanto perfectius legem expleuit: quidni honoremus, eam; quam Christus, inter creatureas, summè honorauit?

Indignissimum profectò est, esse aliquos qui sentiant, neque tantum studium, honoris materni, esse modo in Christo, quantum habet filius alicuius Tartari, honoris matris suæ, etiam post mortem.

Ex te ipso Stoinski cape coniectaram. si tantum in cælis posses, quantum potest Christus; quid & quantum honoris matris tuæ exhiberi velles? Cape coniectaram ex Salomone dicente, 3. Reg: 2. ¶ 20. *Pete Mater mea: nec enim fas est; ut auertam faciem tuam.* Vide iam mi Stoinski, quam pius sis, in illam Matrem, quætibi & omnibus hominibus peperit vitam, quâ viuamus: viam, quâ ad cælestem hæreditatem perueniamus: veritatem, quâ instruamur. Vide quâm pius sis in Matrem Salvatoris mundi: Matrem Regis Regum: Matrem Dei super omnia benedicti. Vide quâm pius sis in Tabernaculum illud admirabile Spiritus Sancti: Sanctuarium Verbi: Comparantalem Dei Patris.

At instat Stoinskius: *ubi alicuius Apostoli, vel alterius cuiuspiam veri Dei cultoris, in Sacris literis exemplum, qui Mariam vel adorauerit, vel inuocauerit?* A quo ego vicissim quæro: an illud tantum ab Apostolis, & primis Christianis actum est, quod legitur scriptum? nihil ergo plus egerit Petrus, Paulus, Ioannes, quam quod Scriptum? nihil ab Ascensu Christi egit Bartholomeus, Matthæus, Andreas, Thadæus, Matthias, quia nihil de

eis scriptum? Tu putes eum, qui bis voluit adorare Angelum, non honorasse Matrem Dei, tantò utique sublimiorem Angelis, (cùm mensura dignitatis maternæ sit dignitas Filij:) quantò eis sublimiorem peperit Filium? An tu etiam dices, S. Ioannem voluisse esse idololatram? ut impudenter loquitur Smalcius in Monstris Fol: 37. Ioannem, inquit, prohibuit Angelus, à se adorando, ne idololatra fieret. Homo præceps ad loquendum, debuit profecto de tanto Apostolo, modestius loqui Quid enim voluit Ioannes adorare Angelum: imò cecidit ad adorandum: ut loquitur S. Scriptura: quod est actus adorandi: Passim enim Scriptura, cùm describit adorationem, vtitur his verbis: Procedens in terram adorauit eum: ut cùm loquitur de puerō Abrahæ, Gen: 24; ¶ 26. de Iob cap: 1. ¶ 20. de Magis Matt: 1. &c in ipsa Apocalypsi lèpē de 24. Seniorib⁹. Cùm ergo constet, S. Ioannem procedisse ad pedes Angeli; constat cum etiam honorasse. Nunquid ergo fuit idololatra? potuit hoc cadere in Apostolum adeo dilectum Christo: Non potuit eum hoc dedocere Spiritus Sanctus, datus ei ad docendam, eum, omnem veritatem? Iam obierant omnes alij Apostoli: omnes propter idolorum contemptum occisi: & tamen adhuc S. Ioannes, cùm Sexagenarius circiter in insula Pathmo esset, & ad secreteissima Dei mysteria agnoscenda, eleuaretur; non sciuerit quid sit idololatria? aut sciens, etiam post Angeli admonitionem idololatram esse voluerit? Quis hoc crediderit? Quomodo possibile est, quod iterum ad idem modestiæ officium tantus Apostolus descederet; si illud esse idololatriam, saltem post admonitionem Angeli agnosceret?

Sed verius est, Saxonem grauissimè errasse: quam tantum Apostolum, idololatram fuisse: vel esse voluisse.

Vides Stoinski, nequidem exempla Sanctorum, ad persuadendum vobis, alicuius Sancti honorem conducere.

Si tamen illa queris; Dico: quod licet humillimæ Virginis,

ginis, (quæ, etiam in Matrem Dei euecta, se dicebat ancillam)
 modestiæ, dederint hoc Apostoli : ut de ea paucissima scrip-
 rent: idq; adeò submissè; vt S. Lucas, qui de ea, cæteris copio-
 sius, scripsit, eam inter fideles, in cænaculo, post Ascensionem
 Christi, congregatos; ultimo propè recenseat loco, *Act. 1. v. 14*
 non desunt tamen, exhibiti ei honoris, etiam in Sacris literis
 argumenta. Quis enim dicat nullum honorem, & nullam
 reuerentiam ei exhibuisse salutatorem Angelum ? quin optimè
 aduertunt S. Scripturæ Interpretæ, non tam præsentia Angeli,
 quam veneratione Salutantis, (ex qua etiam, à nominando
 proprio, Sanctissimæ Virginis nomine, abstinuerit,) com-
 motam Virginem, cogitasse, qualis esset ista salutatio: oportuissq;
 Angelum, proprium Virginis Sanctissimæ nomen, in progres-
 su Legationis eloqui, quo Virgineæ submissioni morem gere-
 ret: Quid Elizabeth, eiusq; vtero inclusus Ioannes ? non eam
 venientem, vt Matrem, illius Domini sui, venerati sunt ? non
 eidem Simeon benedixit ? Christus ipse, non, eam veneratus
 est, cùm erat subditus ipsi ? Ministri nuptiarum Cannensium,
 verba illa, *Quocunq; dixerit vobis, facite;* sine honore & fiducia
 precum eius exceperint ? Sed in primis S. Ioannes, qui Virginis
 Sanctissimæ, ab ipso Christo Domino, in Filium testamento
 legatus fuerat, suæ venerationis erga Beatissimam Dei Matrem,
 hoc reliquit argumentum: quod cùm de ea octies loqueretur,
 nunquam eam proprio nomine appellauerit: sed semper dixe-
 rit; Matrem I E S V: vel Matrem eius: vel absolutè Matrem: cùm
 tamen alias fæminas, nominis Mariæ participes, hoc ipso no-
 mine, signatè expresso, prope vices compellasset. Quod ergo
 Augustam Dei Matrem proprio nomine nunquam appellau-
 erit; non potuit aliundè quam è singulari, tantæ Matris vene-
 ratione processisse. Sciebat ille quæ & quanta dignitas esset;
 dici & esse Matrem I E S V: idque ad excitandam in animis fi-
 delium summam Beatæ Virginis venerationem, sufficere;
 non dubitabat.

Alios

Alios quoque Apostolos summè eandem Virginem veneratos esse, abeaque multa didicisse censeo: non solum ob Sanctorum Patrum id affirmantiū authoritatem: sed etiam, quod legam apud S. Lucam. 2. v. 19. & si: Cor Sanctissimæ, fuisse Gazophilacium verborum Christi. Hæc enim erat, quæ verba Christi per 30. amplius annos excepta conseruabat in corde suo: eaque in eodem conferebat: Apostolosq; edocebat. Afferre possem insuper, testmonia liturgiarum. S. Iacobi S. Marci S. Barnabæ, quibus manifesta extant honoratæ & inuocatae Deiparæ monumenta: si apud Politheitas fidem haberent.

Sed dato, quod nullum è Sacra Scriptura testimonium, honoratæ Deiparæ producere potuissem; (cùm obitum eius, Apostolica Scripta non attigerint: neque ea; quæ eum sequuta sunt:) continuonē concludendum esset, neminem veri Dei cultorem fuisse, qui Deiparam honorauerit, vel invocauerit. An illi soli veri Dei cultores fuere, qui nominatur in Scriptura? non fuerunt illi veri Dei cultores, qui sanguinem pro Deo fuderunt? qui eius fidem toto orbe propagauerunt: atque etiamnam, summo licet grauium tormentorum, & mortis discrimine, propagant? non fuere veri Dei cultores, qui doctissimis lucubrationibus veram Religionem contra Hæreticos tuti sunt? quorum tamen eloquia, adeò in laudibus Virginis certant; vt ea, si legerent Politheitæ, minus credo carperent, quæ in libris Ritualibus, male intellecta, nec scio an ex fide citata carpunt: & odio cauillisque hominum, summa verborum acerbitate, exponunt.

Quid? Nullusne in Polonia Rex, nulli Senatores, nulli aliorum regnorum Christianorum, Monarchæ, Reges, Principes, nulli Orbis Christiani Doctores fuere veri Dei cultores? Num soli Samosathenistæ, sunt cultores veri Dei? at neque de ipsis, vlla, in Sacra Scriptura mentio est; neque homini ulli sensato persuadebunt, cultores esse veri Dei eos, qui non so-

lum Angelos omnes, omnes Principes, omnes homines aliquam potestatem habentes, sed etiam ipsos Dæmones, credunt esse veros Deos.

At enim (includat Stoinskius) *vnde constat eam viuere?* et, si viuat, *nostras preces posse audire?* et, si audiat, *nobis posse aliqua in re opitulari?* Respondeo: Sanctissimam Beatissimæ Dei Matris animam inde constat viuere: quia non solum Christianis, sed etiam Ethnicis Philosophis, Aristotelem sequutis, constat; animas rationales esse immortales: & post separationem à corpore, multò melius operationum intellectualium esse operarias, quam dum sunt, in ergastulo, multis miserijs subiecti corporis. Inde constat; vnde scitur, animam Christi in triduo mortis vixisse: (de quo aliquid infra:) cùm tamen Christus tam verè mortuus sit, quam quicunque aliis homo. Quodsi quæris de toto Virginis composito: Dico toti Orbi constare Beatissimam Dei Matrem, postquam cum corpore assumpta est in cælum, totam in cælis extare: & cum Filio, & Sanctis Angelis regnare. Quod ut facilius sibi persuadeat Stoinskius, accipio argumentum Smalcij de Diu: cap. decimo: quo is existimat alicui neganti, IESVM extitisse; persuaderi posse, quod excitorit. *Quia* (ait) *si non improbus, saltē mentis parum compos censeri debet: qui neget id, quod tot hominum Myriades, à tot seculis tam constanter confessi sunt, & etiamnum confitentur, &c. inter quos plurimos fuisse ingenio & iudicio acutissimos: nemo est qui dubitet.* Hoc argumentum resumere Stoinski: & vide: ne tu imter Collegæ, (an Magistri?) iudicio, debeas censeri, parum compo mentis; si Sanctissimam Dei Matrem neges cum corpore, & anima aslumptam, in cælis viuere: & regnare: plurimaque nobis à Filio impetrare: quod multi milliones Christianorum, inter quos plurimi fuere viri doctissimi; constanter professi sunt: & nunc etiam profitentur. Quodsi adhuc (ut solent vestri) aniles inclamaueris fabulas, &c. Noueris, mi Stoinski,

id multò certius esse : quam certum sit, te nobilem esse, vel te
legitimè natum. Vtiusque tu, nullum potes habere alium
testem, præter tuam matrem: & tamen putas, summam tibi
iniuriam illatum iri ; si quis, quæ de tua nobilitate dicuntur,
censeat; (multò magis, si palam clamitet, & scribat) esse ani-
les fabulas. Quomodo ergo tu, cum tuis, non multò maio-
rem Sanctissimæ Dei Matri infers iniuriam ; qui eam in cælis
viuere & regnare negas ; quod tot miliones Christianorum,
Orientalis & Occidentalis Imperij profitentur: cùm Festum
eius Assumptionis celebrant? An vnius mulieris (quanta quæ-
ta sit mater tua) testimonium, tot millionibus testium præfe-
rendum est? Rationem tuam, mi Stoïisci, consule : & quæ
ego hic ultra scribere possem, aduerte.

Adde & hoc. Non obstantibus locis illis Scripturæ, quæ
affertis ad probandum ; Sanctos nec viuere : nec esse : fatetur
Smalcius de Diu. cap: ii, quod Deus Enochum, & Eliam, licet ho-
mines fuerint mortales, viuos in celum translulerit, nulla morte in-
terueniente. Ergo potuit hanc ipsam prærogatiuam, saltem
morte interueniente, conferre ei, quam extulit ad dignitatem
Maternitatis Dei. Iam cùm nunc eius Filius, in cælis summam
habeat potestatē, quidni credamus Matri suæ præstissimè, quod
præstare eum summè conueniebat?

Denique viuere eam, hoc ipsum manifestat ; quod olim,
Iosephum viuere, Iacobo Patri persuasit.

Bonus senex, cùm à filijs audiret, *Ioseph filius tunc viuit :*
& dominatur, &c. non credebat eis : rat cùm vidisset, cuncta quæ
miseraf Ioseph ; reuixit spiritus eius : credidit : & abiit in Aegy-
ptum. Pari ratione, Beatissimam Dei Matrem, viuere ; nostras
preces audire ; (vt, & Christus homo, et si à nobis adeò remo-
tus, vobis fatentibus, audit :) suisque precibus multa nobis
apud Filium posse impetrare ; hoc probat : quod omnia Catho-
lica Regna ; præstantissima & frequentissima, Virginis Sanctissi-

mæ, experientur auxilia: & quòd eius precibus, multis infirmis, redditam esse salutem; multis peccatoribus datum vitæ melioris amorem; multis Regibus insignes partas esse victorias; fide Historica grauissimorum testium, (quos inter illustris est, magnus ille omnis eruditionis Scrutator, Iustus Lipsius: qui duobus libris, Admiranda DEIPARÆ complexus est:) tam certò sciamus; quam certò scimus Stephanum Regem ante Sigismundum Tertium in Polonia regnasse: Dominum Bebelnum, & Moschorouium illustribus familijs natos esse: Socium vestrum Senis in Italia oriundum esse: & similia. Hæc hactenus.

Fateor me instituti terminos egressum; longius à proposito diuertisse. Feci tamen id: iustis ex causis. Nam primò; Authorem Confessionis, quem primum Politheitarum Sanctissimæ Dei Matris laudatorem legi; in bene coeptis confirmare volui. Deinde, quoniam, omnibus illis, quos ego opusculis meis, ad veram Catholicam fidem, inducendos mihi sumpsoram, nempe Smalcio, Bebelio, Crelio, mortuis; solus Stoinskius Lublinensis Disputator superest; opusculorum à me suppressorum, hanc particulam, descripsi: eò libentiùs, quod fratrem eius nouerim, Sanctissimæ Dei Matri, magnopere affici. Quod ipsum Disputatori intimè precor; ut per eam Benignissimam Matrem, placare contendat Filium: cui Formam, id est Naturam Dei; cui naturalem Aeterni Patris Filiationem; omniscientiam: nostri veram & propriam redemptionem; & pro peccatis satisfactionem, & alia plurima subtraxit. Quodsi male coeptis pertinaciter adhæreat: vnum illum monitum velim: desinat loquunt Nestorius, ne moriatur; vt i est mortuus ille.

C A P V T IX.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus,
mortuus, & sepultus.

AIT Author. Euangelicam gratiam contineri, in clarissimo
promisso, vita eterna. & peccatorum omnium remissionis, &
spiritus Sancti per fidem à quolibet homine obtinendi. Sed
fallitur. Nam hoc promissum, etiam lex vetus habebat, nam
vita Decalogum seruantibus promissa, Matt: 19. ¶. 17, Marci 10.
¶. 17, Luc: 10. ¶. 25; est eisdem promissa: Deut: 4. ¶. 1 & cap: 16.
¶. 20; cap: 30. ¶. 6, 16. & 19: cap: 32. ¶. 47. &c. Clarius hoc in-
nuit Tobias cap: 2. ¶. 18. Filii Sanctorum sumus, & vitam illam
expectamus, (quomodo expectaret quod sibi non esset promis-
sum:) quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant
ab eo: & cap: 13. ¶. 13: ubi, omnes exhortans ad benedicen-
dum Deum, subiicit spem præmij: Ut (inquit) gaudeas in sacu-
la seculorum. Idem innuit Tobiae Angelus cap: 12. ¶. 9. Eleemosy-
na purgat peccata: & facit inuenire misericordiam: & vitam ater-
nam: qui autem faciunt peccatum, hostes sunt anime sue. Idem do-
cet Salomon Proverb. 4. ¶. 4: & cap: 7. ¶. 2: Clarissime Sap: 3.
¶. 7: Fulgebunt iusti, & tanquam scintille discurrent, iudicabunt
nationes: dominibuntur populis: & regnabit Dominus illorum in
perpetuum. & cap: 5. ¶. 16. Iusti in perpetuum viuent, (quæ cla-
rior dari potest vitæ aeternæ promissio?) & apud Dominum est
merces eorum, &c. accipient regnum decoris: & diadema speciei de
manu illius, &c. Similia sunt Dan: 12. ¶. 2. Multi de his qui dormi-
unt in terra puluere euigilabunt, alij in vitam aeternam, alij in oppro-
rium: addunt Hebr. & contemptum aeternum. Qui autem docti
fuerint; fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad insitiam
erudiant multos, quasi in perpetuas aeternitates. Reliqua omitto.

Remis.

Remissionis quoque peccatorum clarissimum promissum est Ezech. 33. v. 11. & seq. Nolo mortem impij, sed ut conuertatur impius à vita sua, & viuat. Et 15. Si impius egerit pénitentiam à peccato suo, &c. vita viuet, & non morietur: omnia peccata eius, non imputabuntur ei. Et cap: 18. v. 21. Si impius pénitentiam egerit, &c. vita viuet: & non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: quod confirmatur versu 27, 30, 31.

Præterea Spiritus Sanctus in omnem carnem effundendi promissio, clarissime facta est, Isaie 44. v. 3: & Ioel 2. v. 28, quæ verba citantur Acto: 7. v. 17. Denique: ut manifestum sit; quam fallax sit Politheitarum hoc Fundamentum; quod Christi aduentus, causa potissima fuerit, ut nobis promissa Diuina annunciat: inde patet primò: quod hæc promissa, facta esse Israëlitis; testati sint sèpius Apostoli in Actis: v. g. S. Petrus, in prima sua Concione, Acto: 2. v. 39, ita est Iudæos allocutus: *Vobis est recompensatio: & filiis vestris: & omnibus qui longè sunt, &c.* & S. Paulus Acto: 13. v. 32. Annunciamus vobis eam que ad Patres nostros recompensatio facta est, &c. & idem; Acto: 26. v. 6. aiebat: *In spe, qua ad Patres nostros facta, est recompensatio, sio iudicio subiectus.* Secundò: Quia idem S. Paulus Rom: 15. v. 9. testatur; Christum fuisse ministrum circumcisio[n]is ad confirmandas promissio[n]es Patrum. Non ergo nouas promissiones Christus attulit, sed veteres confirmauit. Denique vitam æternam promissam esse à Deo ante tempora secularia; expressè testatur S. Paulus: Tit: 1. v. 3. eamque annunciatam nobis quemadmodum & Hebræis; testatur idem: Hebr. 4. v. 2. & 6. Falsa ergo est, al-lata ab Authore Euangelicæ gratiæ definitio:

Dicit aliquis: atqui expressè docet Apostolus Hebr: 8. v. 6. *Nouum testamentum esse in melioribus recompensionibus sanctum.* Respondeo: eundem Apostolum cap: 11. v. 39. significasse: in quo sensu promissiones noui Testamenti sint meliores: nempè in eo; quod veteres, et si heroica fidei & sanctitatis opera exer-

cuerint, non acceperint reprobationem: Deo pro nobis prouidente aliquid melius: non obiectiuè; sed excutiè: eò quod dispositus; ut cælum in veteri Testamento nulli pateret; donec Christus redemptionis nostræ persoluto lytro, cælos referaret: & consequenter voluit, ut cæli aditus, & promissæ, in utroque testamento, vitæ æternæ, exhibitio, reseruaretur tempori Christianorum. In nuditur id ipsum *Hebr. 4. v. 6.*

Textus in Confessione citatus ex Matt: 26. v. 63, dat mihi occasionē conquerendi, de Principe Politheitarū Socino: qui in Antiuieco Polonico *Fol: 94*, ut probaret Christum non venturum in gloria Patris: verba Christi, sacrilego ausu corrupit. Verba eius sunt. *Quod autem omnis Maiestas* (in qua Christus ad iudicium venturus est) *ad illum Deum pertinere debet;* & *quod Christus non sit ille Deus;* satis manifestauit ipse: dicens Matth: 26. v. 64. *Videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei VENIENTIS in nubibus celi:* ubi homo improbus corrupit Scripturam: cum detractione vocis, *Et:* tum immutatione, ponendo verbum *VENIENTIS* (quia tum hoc eius mala intentioni seruiebat) *pro voce VENIENTEM:* quæ significabat, Christi esse illam maiestatem; in qua venturus erat: ipsumque Christum esse illum Deum: quod negabat Socinus.

Cæterū dum multa de morte Christi, verba, in hac Confessione lego: tamque multa S. Scripturæ loca adducta video: vix alicubi iustius, quam hic Christiano Lectori, inclamauero: illud Poëtæ:

Equo ne credite Teucri.

Multos hic inclusos agnosceret Achiuos: qui scierit; quam abieciunt loquantur Politheitæ de morte & sanguine Christi: deque eius redemptione, facta per mortem; vel per vulnera eius. Habeo ex eorū libris non pauca collecta; ex quibus aliqua referā.

De morte Christi in *Lib: de Dñi, cap. ii.* nomine totius eorum Ecclesiæ conscripto dicitur: *Christus pro nobis mortuus dicitur,*

citur, quia morte eius interueniente, salutem æternam amplectendi, occasionem, & spem eius consequendæ, certam habemus: vel saltēm babere possumus: seu: ideo pro nobis mortuus est; ut crederemus vitam æternam, datum iri fidelibus. At hoc euidenter falsum est. An enim ante mortem Christi Patriarchæ, & Prophetæ; sine spe salutis æternæ consequendæ vixerunt? Quid David? toties ad cælestem anhelans Hierusalem; an etiam ipse, salutis æternæ spem non habuit? Quid S. Ioannes Baptista? non habuit spem illius ipsius Regni, quod pœnitentib⁹ appropinquasse prædicabat? Id profectò, videtur incredibile: quod, tot homines sanctissimi, per tot, annorum millia vixerint; & obierint, sine spe consequendæ salutis æternæ:

Iam verò, quod dicitur, eatenus Christi morti, nostram salutem tribui, quod fuerit occasio amplectenda salutis: nimis deprimit æstimationem mortis Christi: facitque illam, bonum per accidens: seu bonum occasionatum: qua ratione Confessio conuersi latronis, posset tribui blasphemis alterius latronis: quæ fuere occasio Christi defendendi, & salutis alyeo imperandæ. Et tamen, tam diminutum licet honorem, morti Christi præcisè sumptæ subtrahunt ijdem.

Dicunt enim, paulò infra. *Hanc ipsam consequendæ salutis spem non tribui morti Christi, nisi Metonymicè: ut potè quæ potius eam consecuta resurrectioni & potentie Diuina Christi, adscribenda sit: cùm mors ipsa, potius nobis, spem huius felicitatis eripuisse*. Reperitur hoc sæpius tum in illo libro: tum in alijs, editis à Smalcio: qui etiam libro de vero Dei Filio Fol: 185. ait. *Si mors Christi præcisè sumatur, plus ad redemptionem nostram facere miracula, quam ipsam mortem Christi.*

Iudicet pius Lector: quam contemptibilis apud eos homines sit mors Christi?

Secundò: Negant ijdem; diabolum habentem mortis imperium, per mortem Christi abolitum esse. Quomodo (ait Saxo Libz

xo Lib : de Diu. Latino Fol : 64.) diabolus per mortem Christi aboli-
tus fuit, cùm potius per eam mortem (exhorresce homo Christiane, ad tantam blasphemiam :) ipse (diabolus) & imperium il-
lius fuerit stabilitum ? Et certè, si Christus tantum mortuus fuisset ;
& in morte remansisset ; rectius dici posset ; Christum à Diabolo vi-
etum : quàm diabolum à Christo abolitum, vel destructum esse. Per-
git ultra. Quis ergo non videt in verbis illis Hebr : 2. v. 14. Chri-
stus participauit carnem & sanguinem, ut diabolum aboleret per mor-
tem, non esse sumenda, de ipsa mortis passione : sed ita tantum, quod
postquam mortuus fuisset Christus, factum est, ut diabolus destruetus
sit, nempe exaltato Christo ? Aduertat pius Lector, doceri ab
his hominibus, neque per mortem Christi, neque per Resurrec-
tionem abolitum esse diabolum : sed primùm post eius Ascen-
sionem in cælos : imò ne hoc quidem ; vt infra videbim⁹. Quid
hic relinquitur honoris, ipsi Passioni, & morti Christi ?

Idem Saxo ait, Lib : de Dei Filio, Fol : 163. Nihil falsius dici
potest ; quàm dicere, quòd Christus morte sua meritus sit remissionem
peccatorum.

Bone D e s ! nihil falsius ? Ergo non falsius est dicere dia-
bolum non solùm verum Deum esse, (quod affirmatis) ve-
rūm etiam summum ? non falsius, est, dicere, omnes quibus
Scriptura tribuit, nomen Dei, esse veros Deos & non falsius (in-
quam) est ventrem esse verum Deum, aliquorum homiaum ?
Idem Saxo, in Monstris, Fol : 250 ; ita docet : Mors Christi, et si
non sit, causa meritoria, efficiens vitæ aeternæ ; est tamen talis causa,
sine quâ Deo visum non fuit, nos saluare : Praterea, parumne vera
virtutis, & efficacia, ad peccata hominum delenda &c. habet, quòd
promissiones Diuinæ perfectissimè confirmandi vim habet ? Parum
dico : parum admodum. Quantulum enim est esse talem cau-
sam, sine quâ Deo visum non fuit, nos saluare ? Certè eodem
modo Deo visum est etiam post Christi Exaltationem, nos non
saluare : nisi peccati mortalis habitu (vt Saks loqui solet) ca-
reamus :

reamus : non ergo aliter mors Christi, causa erit salutis, quam
sint ipsi homines resipiscentes: consequenter, quam ex causa dici
debet Christus, Saluator noster, dici etiam debebunt homi-
nes resipiscentes, sui ipsorum Saluatores. Quam paruum ve-
rò alterum sit, vel inde constat: quod ipse Saxo, loco paulò an-
te citato docuerit; plus ad confirmandas promissiones Diuinas,
contul issemiracula: quam mortem Christi præcisè sumptam.

*Iam quantum apud eosdem ponderis habeant vulnera:
vel Sanguis Christi; audiamus.*

Socinus de Seruatore Fol: 268. docet: *Per se, non plus valere
Christi vulnera; quam si ea vitis aliquis vel simplex homo perpes-
sus esset: immo per se considerata; non plus valere, quam vulnera vel
dolores alicuius bellua: quæ dum tuetur Moschorouius Fol: 246;
tantum queritur, voces illas, per se, à Patre Skarga, adiectas non
esse: fateturque ibidem ipsemet: vulnera Christi per se sum-
pta; non plus valere; quam quod dixit Socinus. Quod an non
blasphemè dictum sit, iudica Lector, Christi vulnerum amās.*

De Sanguine Christi ita scribunt: *Sanguinem Christi vim
babere tollendi peccata, quod in honorem Dei fatus & impensus sit:
nugatorium aliquid omnino censendum est. Ita Saxo in Monstris
Fol: 256. Idem in lib. de vero Dei Filio Fol: 200, fatetur. In hoc
conuenisse sanguinem Christi cum sanguine brutorum animalium, sub
lege oblatorum: quod eodem modo, nunc, peccata sanguine Christi
expiantur: quo olim sanguine animalium, peccata expiabantur. &
ibidem; negat sanguinem Christi, ex se, vim propriam babere, ad
expianda peccata: immo Fol: 201. ita loquitur: *Licet Sanguis Chri-
sti, sit Sanguis Filij Dei, non sequitur tamen inde, eum ex se aliquid
præstare: sed satis est, ad istam commendationem, stabiliendam; si di-
catur, longè præstantiorem esse effectum sanguinis Christi, quam san-
guinis brutorum. Idem pluribus locis, præsertim Fol: 183. 230, &**

250. negat: ideo à S. Petro dici pretiosum Christi sanguinem: quasi scilicet vim pretij, & cum valorem, habuerit; quem redemptio postulabat: & affirmat; ideo dici pretiosum: quia sit, quasi aeternus: non simpliciter & absolutè; sed quatenus per eum aeternum foedus confirmatum est. Idem Fol: 202. negat sanguinem Christi, pro peccatis totius mundi fusum esse. Idem Fol: 206. ait: Falsissimum est, propter sanguinem Christi, peccata nobis esse remissa; & ibidem in fine: Non potest alia ratione sanguis Christi, causa esse effectrix remissionis peccatorum; quamquod Deus sine illo, salutem perfici noluerit. Ex quo sequitur; non plus ab ipsis hominibus tribui sanguini Christi, in ordine ad nostram salutem; quam poenitentiae; vel fidei per charitatem operanti; ex decreto Dei ad salutem nostram requisitis: immo non aliter ei tribui causalitatem salutis, quam tribui possit traditioni Iudæ: odio & inuidia Pontificum: tyrannidi & crudelitati tortorum: quae omnia manifestum est, ex Act. 2. v. 33. fuisse talia; sine quibus Deus salutem perfici noluerit nostram. Atque ideo, cum ipsi licuerit, verba illa (liuore eius sanati sumus) ita explicare Fol. 67. lib. de Diu; interueniente Christi afflictione, factum est, ut salutem animarum nostrarum consequamur: ita alicui dicere licet: traditione Iudæ; & sceleri Iudæorum, nos sanatos esse: quibus interuenientibus, factum est, ut salutem nostram consequamur. Idem, perrinacissime negat, tum in Monstris, tum in Libro de vero Dei Filio, Christum sanguinem suum, animam, vitam in sacrificium obtulisse. Ita in Monstris Fol. 256, Christum (ait) seipsum Deo obtulisse, falsum: & profutissimo commento, & crasso errore habendum. Et infra: sanguinem Christi sacrificium appellare fabula Pontifitia est. Itaque hic etiam, Confessionis authorem fabulatorem dici oportebit: cum hic, litera M. dicat, Christum quatenus sanguinem suum fundentem, & morientem, fuisse victimam piaculariem pro peccatis nostris. Est autem victimam; est esse Sacrificium: ut exterminis manifestum est. Denique ijdem Domini

Domini Politheitæ affirmant: Christum esse nostrum Redemptorem, non proprium: sed Metaphoricū. Vnde etiam, Author Confessionis; nullam hīc mentionem, Redemptoris Christi fecit: ut potē benē sibi, conscius, etiam se, verba Scripturæ, quibus innuitur, quōd Christus nobis reconciliauerit Deum, sanguine fuso pro peccatis nostris; & crudelissima subitā morte; quōdque nos magno pretio redemerit; metaphoricè intelligere. Hæc sufficient; è multis; quæ collegi, ex libris ipsorummet, Christi Redemptoris proprietati detrahentium. Ea refellere, non est præsentis instituti: cùm hīc, solum velim, paterfæcere, quām multæ, huic Confessioni insint imposturæ. Ut tamen aliquomodo, à recensitis erroribus, arceatur Lector, saltem verba Sacrae Scripturæ eis adue: sanctia breuiter preducam.

Loca S. Scripturæ Morti Christi, sine ullo addito nostram salutem, vel à peccatis expiationem tribuentia.

I Saia 53. v. 10: *Si posuerit animam suam victimam pro peccato* (ita ex Hebræo legunt Tremellius: & Zaslauenses) *videbit semen longuum, &c. & infra.* Ideo dispertiam ei plurimos; & fortium diuidet spolia: pro eo; quōd tradidit animam suam: & cum seceleratis reputatus es: & pro transgressoribus rogauit. En quām clare, soli Passiodi Crucis, & mortis Christi; id tribuitur: quod ei, hostes, eius æternæ Diuinitatis, negant. Hunc Isaiae locum respergit S. Ioannes: cùm cap. II. v. 51. ait: *I E S U S moriturus erat pro gente: & non tantum pro gente; sed ut Filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.*

Idem docetur Rom. 5. v. 6, & seqq. *Christus, pro impijs mortuus est: & cùm adhuc peccatores essemus; Christus pro nobis mortuus est: & cùm inimici essemus; reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius.*

Ad Colossenses c. I. v. 21: *Christus vos reconciliavit; in corpore*

pore carnis eius per mortem. Hic manifestè morti in corpore obitæ, & præcisè ab omni alio descriptæ, tribuitur reconciliatio nostræ: & paulò infra; pacificatio celestium & terrestrium per sanguinem crucis eius. Vbi Metonymiæ, ne leuissimum est vestigium. Et 1. Thessal. 5. ¶. 9: Posuit nos Deus in acquisitionem salutis, per Dominum nostrum IESVM Christum, qui mortuus est pro nobis. Atque ea de causa, cælestes Spiritus, Apoc. 5. ¶. 8; Agno in eorum conspectu stanti, tanquam occiso canunt: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius: quoniam occisus es: & redisti nos Deo in Sanguine tuo, &c.

Loca S. Scripturæ, quibus vulnera Christi commendantur.

ISaiæ 53. ¶. 5. Vulneratus est propter iniquitates nostras: &c. disciplina pacis nostra super eum: & liuore eius sanati sumus: quæ verba repetit, & citat S. Petrus: 1. Petri 2. ¶. 24.

Atque ea vulnera in die nouissimo hominibus iudicandis exhibenda innuit S. Ioannes cap. 19. ¶. 37: citans verba Zachariæ, cap: 12. ¶. 10: aspicient ad me quem confixerunt: & plangent quasi super vnigenitum.

Loca S. Scripturæ, quibus Sanguini Christi tribuitur expiatio peccatorum: redemptio: & salus nostra.

ACtorum 20, ¶. 26: Spiritus Sanctus vos posuit regere Ecclesiæ Dei: quam acquisiuit Sanguine suo.

Rom. 3. ¶. 24: Iustificati per redemptionem, qua est in Christo IESU, quam proposuit Deus, propitiationem per fidem in Sanguine ipsius.

Et: cap. 5. ¶. 9: Iustificati in Sanguine ipsius; saluierimus ab ira per ipsum.

Et: Ephes.

Et: Epbes. 1. v. 7: In Christo habemus redemptionem, per Sanguinem eius remissionem peccatorum. Et: cap. 2. v. 13. Qui eratis longe, facti estis propè in Sanguine Christi.

Ad Coloss. 1. v. 14: In Christo habemus redemptionem, per Sanguinem eius remissionem peccatorum. & v. 20: Pacificans per Sanguinem Crucis eius, quæ in terris & quæ in celis sunt.

Ad Hebr. 9. v. 14: Sanguis Christi, qui per spiritum S. obtulit seipsum (ecce Sacrificium, ecce victimam piacularēm:) immaculatum Deo: emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis. Et: cap. 12. v. 24. Accessisti ad Sanguinis aspersionem melius loquenter quam Abel. Et: cap. 13. v. 12. IESUS ut sanctificaret populum suum per Sanguinem: extra portam passus est.

Sanctus quoque Petrus 1. Petri 1. v. 1. vocat, Electos in aspersionem Sanguinis Christi: & v. 19. dicimur: Redempti pretioso sanguine Agni immaculati.

Eundem pretiosum Sanguinem saepius prædicat S. Ioannes, vt 1. c. 1. v. 7: *Sanguis IESU emundat nos ab omni peccato. &c.* Et: Apoc. 1. v. 7: *Dilexit nos (Christus) & lauit nos à peccatis nostris in Sanguine suo.* Et: cap. 5. v. 9: *Redemisti nos Deo in Sanguine tuo.* Et: cap. 7. v. 14: *Sancti Martyres dicuntur stolas suas de albaesse in Sanguine Agni.* Et: cap. 12. v. 11. dicuntur vicisse propter Sanguinem Agni. Denique de omnibus Christianis, beatitudinem consequutur dicitur: *Beati qui lauant stolas suas in Sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vita.* Apoc. 22. v. 14.

Loca S. Scripturæ: quibus Christo Domino tribuitur vera & propria nostri Redemptio.

Matthæi 20. v. 28: *Filius hominis venit ministrare, & dare animam suam, (λυτρόν) redemptionem, vel redemptiois premium, pro multis.*

Eadem verba repetuntur Marci 10. v. 45.

Lucæ 1. v. 68: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis sue.*

Rom. 3. v. 24: *Iustificati gratis per Redemptionem, que est in Christo I E S V.*

I. Cor. 1. v. 30: *Christus factus est nobis Sapientia à Deo; & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Et I. Cor. 6. v. 20: *Non es sis vestri, empti enim es sis pretio magno.* Et ibidem cap. 7. v. 23. *Precio empti es sis.*

Galat. 3. v. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis: factus pro nobis maledictum.* Et 4. v. 5: *Misit Deus Filium suum, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.*

Ephes. 1. v. 7: *In Christo habemus (illam) redemptionem per sanguinem eius.* & cap. 3. v. 16: *Per Crucem inimicities interficiens in semetipso.* Quæ ipsa verba repetuntur ad Coloff. 1. v. 14: *vbi etiam cap. 2. v. 14 sunt ea verba: Delens quod aduersus nos erat, Chirographum decreti: quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio affigens illud cruci. vel, vti Syrus vertit; deleuit Chirographum obligationum nostrarum; quod erat contrarium nobis.*

I. ad Timoth. 1. v. 6: *Vnus est Mediator Dei & hominum, homo Christus I E S V S, qui dedit semetipsum, redemptionis pretium (αριθμός) pro omnibus.*

Tit. 2. v. 14: *Saluator noster I E S V S Christus, dedit semetipsum pro nobis: ut redimeret nos ab omni iniustitate: & mundaret sibi populum acceptabilem.*

I. Petri 1. v. 18. & 20: *non corruptibilibus auro vel argento redempti es sis, de vana uestra conuersatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, &c.*

Apoc. 5. v. 9: *Dignus es Domine, &c. quia occisus es: & redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Et: cap. 14. v. 5. de Virginibus dicitur: *Hi empti sunt ex hominibus primiti illi Deo & Agno, &c.*

In his locis clare significatur; Christum non quomodo cunque

tunque esse Redemptorem : sed talem ; qui nos redemerit pre-
tio magno : id est Sanguine, omni auro & argento pretiosiore :
qui dederit animam suam pretium redemptionis pro multis :
tradendo semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo :
& deleando Chirographum contrarium nobis : seu quod idem
est, Cruce & morte sua illud aboleando & cassando : ut soluto
debito syngraphæ lacerantur : aut stylo affinguntur : qui pro
peccatis nostris mortuus sit : *i. Cor. 15. §. 3 : & i. Petri 3. §. 18. &c.*

Certè nomina hæc lytron & antilytron, satis apertè te-
stantur : pretium hoc, quo nos redemit Christus, esse verum &
proprium pretium : & eam vim habuisse ad nos redimendos,
quam habet, verum & proprium precium. Quia igitur, qui ve-
rum & proprium pretium Domino alicui soluit, pro captiuo;
ob aliquod crimen ab eodem Domino, ad graues poenas desti-
nato ; donec sibi fatisfiat ; verè & propriè dicitur pro illo ca-
ptiuo satisfecisse : ideo Christus, qui magnum pretium Sangui-
nis pretiosissimi, & animæ, & vitæ propriæ, obtulit Deo ; pro
nobis redimendis ; quos sciebat propter peccatum Adæ, aliaq;
ex eo fluentia, morti destinatos : non potest negari, cum pro
peccatis nostris, pro quibus toties vulneratus & mortuus dici-
tur ; perfectissimè Deo satisfecisse : atque ideo, non Metapho-
ricum (quidquid blasphemè Politheitæ) sed verum & pro-
prium esse Redemptorem ?

C A P V T X. Descendit in infernum.

BEnè aduertit Author Confessionis : Christum voluisse se-
peliri : ut cum verè mortuum fuisse constaret : sed per
hoc euertitur explicatio : quâ explicat verba hæc : *Descen-
dit in infernum.* Nam si per hæc verba Descendit in infernum,

non aliud significatur, quam Christum esse mortuum vel sepultum; nihil distinctum dicitur in hoc articulo, quod non sit dictum in præcedentibus: & committitur tautologia. Hominem enim mortuum & sepultum, certum est, non nisi insuperabili Dei potentia, ad vitam, & vitae actiones redire posse. Quod si is, in illo triduo cœnit, ita animam Christi factam esse faxeam, quales nostras, post mortem fieri, imaginatur Smalcius; quæ nimis, separatae à corpore, nihil intelligere, aut velle, nullasue actiones exercere possint; faciet Christi Animam, ex viuente mortuam; ex humana brutalem: ex immortali mortalem. Nam omnes Philosophi cum Aristotele per hoc probant, animam humanam esse immortalem; quod habeat operationes à corpore independentes: id est tales: quæ extra corpus ab ea exerceri possint: quâ doctrina euersâ, fatendum erit humanas animas esse mortales: idque fortasse expressit Smalcius; aliquoties in Monstris docens, Sanctos vita functos non extare. Si enim Sancti vita functi, simpliciter non extant; necesse est eos tam corpore quam anima mortuos esse: ita planè, ut moriuntur bruta,

Præterea si eidem Saxonicae imaginationi adhærebit; contradicet Scripturæ: quæ multas actiones tribuit Christo, descendi, in subterraneum infernum. Nam primo *Ecclesiastes* 4. v. 45. loquitur Christus, Virtus & Sapientia Patris: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ: & inspiciam omnes dormientes: & illuminabo omnes sperantes in Domino?* Et *Zachariae* nono: post descriptos multos excellentissimos effectus aduentus Messiae: ita eum Prophetæ compellat v. 11: *Tu quoque in Sanguine Testamenti tui, emisisti vincitos tuos de lacu, in quo non est aqua.*

Hoc ipsum inter munera Messiae recensem *Isaias* 42. v. 6: *Dedite in fœdus populi, &c. ut educeres de conclusione vincitum: & de domo carceris sedentes in tenebris: seu (ut loquitur cap. 49. v. 28. ut diceres his, qui vinciti sunt, exite: & his qui in tenebris, reuelasti-*

mini. quæ verba suos electos, ex illo subterraneo carcere, educenti Christo; pulchrè accommodat S. Cyrillus Alexandrinus lib. de Fide ad Theodosium Imperatorem.

Denique S. Petrus cap. 3. ¶. 18. & 19. ait; *Christum mortificatum carne, viuiscatum autem spiritu, venisse & praedicasse spiritibus, qui in carne erant, & aliquando fuerant increduli: vel (ut ex Græco aoristo aliqui vertunt;) immorigeri temporibus Noe: nempe prædicanti Noëmo non obediendo: & tum primùm, cùm immineret submersionis periculum, resipiscendo.* Ex hoc loco S. Scripturæ; & insuper, capite eiusdem epistolæ quarto, ¶. 6; vbi dicitur *mortuis esse Euangelizatum; apertè cognoscitur: Spiritum Christi, venisse ad eos spiritus: qui in carcere erant: vel (ut in Syriaco legitur) in inferno: eisdemque prædicasse bonum nuncium: id est (ut in Synodo Ephesina Oecumenica explicatur) redemtionem & libertatem: Resurrectionem: & eadem explicatio est, antiquissimorum Patrum: qui proximi temporibus Apostolicis vixere. Ita enim ea interpretatur Clemens Alexandrinus Lib. 6. Stromatum, circa medium. S. Cyprianus Lib. 2. ad Quirinum cap. 27. S. verò Iustinus in dialogo cū Tryphone; queritur Iudæos erasisse è prophetia Ieremiæ hæc verba: *Recordatus est Dominus Deus mortuorum Israelis, qui in terra aggeris sepulti sunt: descenditq; ad eos, nunciatum illis seruatores suum: quæ eadem verba citat, & clarius refert S. Irenæus Lib. 3. cap. 23. Commemoratus est Dominus s. Israel, mortuorum seruorum: qui dormierant in terra sepulctionis: & descendit ad eos Euangelizare salutem: qua est ab eo, ut saluaret eos.* Quibus verbis, confirmatur explicatio allata verborum S. Petri.*

Cæterum Christum descendisse ad inferos: atque ex sinu Abraham Sanctos & Electos suos; eduxisse: non obscurè indicant etiam aliæ Scripturæ. Primùm quidem Ephes. 4. ¶. 9. *Quod autem ascendit. quid est nisi quia descendit primùm in inferiores, vel (ut alij vertunt) in infimas partes terræ: Certe infimæ partes ter-*

ræ, quid aliud significant quā infernū, qui est in medio terræ? vt hunc ipsum locum videatur designasse Christus; cùm se prædictis triduo fore in corde terræ: vt innuit S. Irenæus Lib. 5: & Tertullian. Lib. de Anima, cap. 25: & alij deinceps: quorum verba mox referam. Secundò, significatur idem Actor. 2. v. 26: verbis adductis ex Psalmo: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quibus verbis tantum tribuit S. Augustinus: vt Epistola 99. ad Euodium dicat; *Dominum mortificatum carne venisse in infernum, satis constat.* Nec enim contradici potest, vel Prophetæ; quæ dixit: *Noæ derelinques animam meam in inferno: quod ne aliter quisquam sapere auderet;* in Actibus Apostolorum idem Petrus exponit: vel, eiusdem Petri, illis verbis; quibus eum afficit, soluisse inferni dolores, in quibus impossibile erat eum teneri. *Quis ergo, nisi infidelis negauerit suisse apud inferos Christum?* &c. Idem explicat, quomodo Christus soluerit hos dolores: nimirum, vel faciendo, ne eis teneatur: vel alias, quos voluit, ab eis liberando.

Iam verò Sanctos & Electos Dei, à Christo, esse tunc ex inferno eductos, innuitur: tum ad Ephes. 4. v. 8: *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem:* ubi Hebræa Phrasí ponitur abstractum pro concreto: id est captiuos, è diurno & tenebroso carcere in lumen beatificæ Visionis eductos: nouisque suæ beneficentiae vinculis, deuinctos: tum ad Coloss. 2. v. 15; *Explicans Principatus & Potestates, traduxit confidenter, palam triumphans eos in semetipso.* Quod verò hic aliud spolium intelligamus: quām ereptos de potestate tenebrarum Sanctos Patres: & in libertatem assertos? Præclarè eidem veritati affirmandæ accommodat duo alia loca S. Augustinus sermone centesimo, trigesimo septimo, de Tempore. Quod ante Passionem suam dixit; *in sua Resurrectione Dominus impleuit.* Si (inquit) exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum. Omnia enim traxit, qui de Electis suis apud inferos neminem reliquit. Omnia abstulit: utique electa: illos

illos ex inferi claustris eripuit; quos suos in fide & actibus recognouit.
Vnde rectè etiam per Osea dicitur. Ero mors tua, o mors: ero morsus
tuus inferne. Id namque quod occidimus; agimus, ut penitus non sit:
ex eo autem, quod mordemus, partem abstrahimus, partem relinqui-
mus: quia ergo in electis suis, funditus occidit mortem; mors mortis
extitit: quia verò ex inferno partem abstulit; & partem reliquit;
non occidit funditus, sed momordit infernum. Iudicet Lector,
etiam aduersarius, an non par sit fidem haberi, tanto Doctori:
hanc veritatem, è pluribus S. Scripturæ locis, tam solidè deduc-
centi.

Denique Christum ad inferos descendisse: & Sanctos, è
sinu Abrahæ, (nos nunc lymbum dicimus) eduxisse: iam inde
à temporibus Apostolorum creditum est. Id testatur S. Ignatius,
qui tempore Apostolorum vixit: in Epistola ad Trallianos.
*Descendit (inquit) ad infernum solus: regressus autem est cum
multitudine: & septum illud aeternum rupit.* Eodem tempore
hanc eandem aeternitatem à Thadæo Discipulo prædicatam es-
se Abagaro Regi, refert Eusebius in Historia Lib. i. cap. ultimo.
Apostolorum temporibus vicinus erat S. Irenæus, vt potè Di-
scipulus S. Policarpi, & Papiæ: qui S. Ioanuis Apostoli Audi-
tores fuere. Hic Lib. 5. contra Hæreses cap. 31. ait: *Dominus le-
gem mortuorum seruavit: ut fieret primogenitus à mortuis, & com-
moratus usque ad tertiam diem, in inferioribus terra.* Et infra:
*Cum Dominus in medio umbra mortis abierit; ubi animæ mortuo-
rum erant; post deinde corporaliter resurrexit.* Eodem tempore
circa annum 170, vixit S. Theophilus, Sextus à S. Petro, An-
tiochenus Episcopus: qui in Commentario S. Matthæi ita scri-
bit: *Cur Latroni Saluator ait, hodie mecum eris in Paradiso: cum il-
lius secundum hominem corpus in terra, anima apud inferos fuerit?*
Sciendum est: quod hanc promissionem secundum affectum Diuinæ po-
testatis implevit: quia ubique Deum esse credendum est: & ubi est
Deus, illuc & vita, & amœnitas eterna. Circa eadem tempora vixit

Tertullianus, qui hoc ipsum docet Lib. de Anima c. 35. Si Christus (inquit) non ante ascendit in sublimiora calorum, quam descendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas & Prophetas compotes sui faceret ; habes regionem inferum subterraneam credere. Et Origenes Homilia 15. in Genesim. Quod dixit ad Latronem; Hodie mecum eris in Paradiſo: hoc non illi solum dictum, sed omnibus Sanctis intellige : pro quibus, unigenitus Filius Dei usque ad inferna descendedat. Ecce in Caput quintum Epistolæ ad Rom. lib. 5; postquam docuisset Christum ad inferos descendisse ; ut eos, qui tenebantur ibi; absoluueret : hæc verba subdit. In quo Prophetæ dicta complentur : qui ait de Christo : Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Et sic per suam Resurrectionem, mortis regna destruit : unde & captiuitatem scribitur liberasse. Tot ergo testimonij primitiæ Ecclesiæ, certantibus, Christum descendisse ad inferos : & inde multitudinem Sanctorum captiuorum eduxisse ; quis presumet dissentire ?

C A P V T X I . Die tertia resurrexit à mortuis.

AIt Author: *Divina Patris sui potentia, Christum esse in vitam reuocatum.* Hic quoque suppressus est error. Volunt Politheici, Christum solius Patris potentia esse à mortuis excitatum : atque inde inferunt ; non esse illum, unum verum Deum. Sed errant: Quod enim Christus, non sola Patris potentia à mortuis excitatus sit ; sed etiam quod propria virtute resurrexerit ; indicant primò illa Scripturæ loca ; quibus dicitur resurgens *avates* Matt. 17. v. 9: *Marci* 8. v. 31: & c. 9. v. 9: *cap. 10.* v. 34: *Luce* 18. v. 33: & *cap. 24.* v. 7: & v. 45: *Ioan.* 20. v. 9: *Actor.* 17. v. 3: *Rom.* 14. v. 9: & alijs locis : quæ (nisi fallor) sunt tot ; quot illa quibus dicitur *ηγετης*, id est, ut passim interpres

interpretantur Raciouienses, excitatus. quamuis etiam hoc ipsum verbum ηγέρης significat subinde surgere: vt patet in verbis à Domino dictis Paralytico: & à S. Petro dictis Claudio; *Surge, & ambula:* & alibi sæpè.

Indicauit præterea Christus ipse, se habere potestatem excitandi sui à mortuis: tum *Ioan. 2. v. 19: Soluite Templum hoc, & in triduo illud excitabo: εγερώ;* (quæ vox communiter tribuitur Patri, in explicanda excitatione à mortuis:) unde verba hæc tum primum intellexere Apostoli, cùm Christus esset ηγέρης: (utique ab eo qui dicebat εγερώ) id est excitatus à mortuis.

Indicauit idem *Ioan. 10. v. 18: Ego pono animam, ut iterum sumam eam: nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me ipso: & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.*

Indicauit idem: cùm *Ioan. cap. II. v. 25.* dixit: se esse Resurrectionem (ἀναστολή:) & vitam.

Eandem eum habere potestatem agnouit S. Lucas *Act. I. v. 3. Quibus (Apostolis) præbuit: vel (ex Græco) Stitit seipsum viuum, post Passionem suam.*

Idem colligitur ex locis illis, quibus dicitur, idem Deus nos excitaturus à mortuis; qui excitauit Dominum IESVM: vti dicitur; *Rom. 8. v. 11: 1. Cor. 6. v. 14: 2. Cor. 4. v. 14: Certum autem est, quod Dominus IESVS nos excitabit à mortuis: vti ipsemet significauit Ioan. 6. v. 39: & v. 44: & v. 55: & alibi: id quod fatentur, etiam Politheitæ: in eoq[ue] potissimum, perfectionem potentia Christi reponunt: vt videre licet *Lib. de Diu. cap. 2.* Patet igitur: Christum, etiam virtute suâ propriâ à mortuis resurrexisse: atque adeò solum (iuxta Prophetiam Dauidis) inter mortuos liberum fuisse: in cuius potestate æquæ fuerit; animam resumere: atque eam pro salute nostra ponere.*

Alius quoque error, hic suppressus est. Docent idem Politheitæ: Christum per Resurrectionem ex non existente capisse existere: aiunt enim (lib. de Diu. cap. 13.) Christum in triduo mor-

tis ita cessasse existere : ac si planè in nihilum redactus fuisset. Nota Christiane, quisquis Christum amas : qui sit horum hominum sensus, de *Anima Christi* : & de *anima omnium hominum* : quos illi eodem capite, post mortem, non aliter censent viuere, etiam ipsis Deo ; quām quōd resurrecti sint : resurgere autem secundum eosdem, nihil aliud est, quām ex non existente iterum existere. Quo clarē confirmatur quod supra dixi : à Politheitis credi : animam hominum, vna cum corpore emori : & interire : & per resuscitationem (ut illi aiunt :) cum corpore, à morte resuscitari.

Tertius error : quōd ijdem eodem capite, *Fol. Lat. 83.* docent : *Certitudinem Resurrectionis Christi, non posse haberi sufficiētem, ex testimonij veteris fœderis* : consequenter negant isti : Christum, suam à mortuis resurrectionem, sufficiēter probasse *ex Scripturis* : quod est contra aperta testimonia Euangelistarū.

Quartus error : quōd sequenti Capite docent ijdem ; estq; eorum doctrina communis : *quod Christus non resurrexerit in glorioſo & immortali corpore, sed mortali.* Quod fallum esse testatur Scriptura. Nam Apostolus *Rom. 5. §. 9,* ait : *Christus excitatus ex mortuis, iam non moritur : mors illi ultra non dominabitur.* Certe hīc indicatur expreſſè tempus, à quo ultra mors non sit dominatura Christo. Respondet Saxo *Lib. de Dei Filio, cap. 10. Fol. 91:* *Illud ultra ; numerari debere, à Christi in celos exaltatione, non à Resurrectione :* Sed nulla hoc ratione probat : & vim apertis verbis S. Scripturæ infert. Deinde, per eundem Apostolum dicitur : *Hebr. 2. §. 14 :* *quod Christus per mortem destruxerit eum, qui habebat mortis imperium : quomodo verò per mortem destrueretur ille, si etiam excitatus à mortuis, Christus Dominus, eius subditus esset ?* Mortalitas certè, est seruitus mortis. Respondeat Saxo : *Tantum hoc loco intelligi, Christum destruxisse mortis imperium, imterueniente morte : & resurrectione ; non autem per mortem & Resurrectionem.* At, si hęc interpretatio semel admittatur,

tur, nunquam poterit probari, Christum etiam modo immortale habere corpus : cum neque unquam in Scripturis dicatur, Christum per suam in cælis exaltationem destruxisse mortem : & si alicubi dictum esset; dici adhuc posset: interueniente Christi exaltatione, mortem, ab ipso, in die nouissimo destruendam: non autem iam destructam esse: atque ita Christum, adhuc non habere immortale corpus: sed usque post diem iudicij, tale corpus habiturum. Dicit idem: Posse dici: mortem, in eo sensu, non dominaturam Christo: quatenus decretum Dei intercessit: ut etsi mortal is sit, non moriatur. At in eo sensu, non posset dici Christus, primogenitus ex mortuis: siquidem eorummet iudicio, multis annorum millibus, priores Christo, Enoch & Elias, ex Dei decreto, non amplius sunt morituri, etsi fuerunt mortales.

Neque obstat: quod Christus post Resurrectionem veræ comedenter. Nam corporibus gloriois, non repugnat vera comestio, procedens ex potestate: sed tantum comestio fluens ex necessitate: & coniuncta nutritioni. Nam, de ratione veræ comestionis; solum est; ut per vitalem actionem, & organa vitæ cibis ore sumptus, in stomachum traiiciatur: quod totum, cum nullam requirat alterationem, sed solum motum localem, qui corpori glorioso non repugnat; consequenter non repugnat eidem comestio.

Falsum denique est, quod Corpus Christi immortale, nec videri, nec tangi, nec vestigia vulnerum retinere possit. Cui commento nulla ratione, nullisque S. Scripturæ verbis nixo, refellendo; sufficiet, testimonium S. Ignatij, Apostolorum Synchroni, qui in Epistola ad Smyrnenses; ita scribit contra Ebionitas: *Ego Christum non modo in carne venisse, cognosco, ex nativitate, & crucifixione eius; sed & post Resurrectionem, scio eum in carne fuisse: & credo etiam nunc esse.* Et infra: *Cum etiam, & post Resurrectionem, ostendit seipsum illis: & ita cum carne, videntibus illis, assumptus est ad illum; qui miserat eum: cum ipsa carne, ventu-*

rus iterum, cum gloria & potestate. Si vero sine corpore dicunt eum venturum; in consummatione seculi; quomodo ipsum videbunt, qui eum pupugerunt? &c. Huius saltet Sancti Martyris, tam claris, tamque difertis verbis, fidem dare deberent: qui corpus humanum, a Christo ascendentem, in nubibus desertum affirmant: qualis etiam est Moschorouius contra P. Skarga, cap. 10. parte 2. de quo insuper sequenti capite aliquid loquendum erit. Hic Confessionis, vnum imprudens dictum refellendum est. Dicit, Christum ideo etiam vnigenitum esse: quia solus haec tenus, ex morte ad vitam immortalem excitatus est, & quod (ut infra refert) est rerum omnium Dominus, & nostrum Caput. Cum ergo post diem iudicij plurimi ad vitam immortalem excitantur, & Filius tradet regnum Deo Patri, eiique subiectus erit, debebit tunc Christus, (iuxta hos,) desinere esse vnigenitus Filius Dei Patris. En quam imprudens dogma!

C A P V T X I I . Ascendit in Cælum.

Hic in primis Confessionis desidero sinceritatem. Vel enim censet Christum descendisse usque ad profunda inferni; (ut loquitur) & sic falsum est; illo articulo, *Descendit ad inferos*, significari solum descensum, in statum mortuorum. Quæ enim, hic, propriè loquendo, inferni profunditas est? Si autem negat Christum descendisse usque ad profunda inferni, ubi verborum candor?

Eadem Confessio, cum citat ex Epistola ad Ephes. 4. v. 10, illa verba: *Qui descendit (adde ex præterito verbi in infima terræ) ipse est, & qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia: seipsum manifeste retellit.* Ita enim Christus dici debet, descendisse super omnes cælos, sicuti descendit in infima terræ: vel ergo

ergo tam verè descendit in infima terræ; quam verè ascendit super omnes cælos: vel si non verè, sed figuratè descendit in infima terræ; dici etiam debebit, solum figuratè, ascendisse super omnes cælos. Certè verba, à S. Apostolo addita, ut impletet omnia: indicant Christum omnes regni sui partes, præsentem voluisse visitare: sicque regni totius mundi, in terra primùm; deinde in subterraneis partibus; tandem etiam in cælis possessionem adire & capessere.

Confirmatur: quia Hebr. 4. v. 14. cum dicitur *Christus cælos penetrasse*; & Hebr. 7. v. 26, *excelsior cælis factus*; sensus erat realis & Physicus: Ergo etiam cum idem, dicitur Ecclesiastes 24. v. 45: *Penetraturus omnes inferiores terra partes, & inspecturus omnes dormientes*; & cum dicitur, *cum mortuis in abyso esse*. Rom. 10. v. 8; sensus debet esse realis & Physicus.

Iam verò, grauis quidam, etiam hic, occultatur error. nimicum, quod Christus modo non habeat, corpus humanum, quod habuit in terris viuens. Ex quo (vt alia omittam) manifeste sequitur; Christum nunc, nec esse Pontificem: nec mediatorem nostrū: quod ita probo. Qui non est verus homo; nec Pontifex est, nec Mediator noster. Christus nunc (si corpus humanum, constans carne & ossibus, & sanguinem non habet) non est verus homo: (quia definitio veri hominis est, esse animal rationale: animal autem esse non potest, nisi quod habet corpus; constans carne, ossibus, & sanguine.) Ergo Christus nunc, nec est Pontifex, nec Mediator noster. Sequitur item; Christi animam rationalem perisse: & Christum modo, non solum corpore illo, quod habuit in terris viuens, sed etiam anima rationali carere. Anima enim rationalis, est Forma corporis organici: corpus verò spirituale, non potest esse organicum: proinde neque informari ab anima rationali. Sequitur denique Christum, non esse illam Personam, quæ erat viuens: nam neque eadem est eius essentia; quæ erat viuentis: neque cæ partes essentiales & substantiales, quæ erant viuentis: ut appli-

canti, ea quæ dixi, manifestum est. Quid ergo nunc est Christus? non homo naturâ; ut probauit: & constat, hominem, esse tam essentialiter corporeum & sensituum, quam rationalem: & tam ei repugnare esse spiritum, quam spiritui repugnat esse corpus. non Angelus; quia hunc fortasse negarent Politheitæ corpus habere qualemque: non Deus naturâ; quia Deum naturâ, impossibile est, creaturam esse. Quid erit ergo? Hunc errorem erubescere deberent homines, vel mediocriter sensati: & non tam facile, ob aliquot S. Scripturæ loca malè explicata, (ut infra videbimus:) tam absurdam de Christo concipere opinionem.

C A P V T X I I I .

Sedet in dextera Dei Patris omnipotētis.

Nescio, quo mysterio verba Symboli immutauerit hic Author. Nam in Antiquis Authoribus, Tertulliano, S. Cypriano, Rufino, legitur: Sedet ad dexteram Dei Patris, &c.

Quidquid sit de Phrasí Articuli, aliquot hic aduerto errores expressos: plures suppressos. Expressus est: quod, Christū, dicat esse Summum Sacerdotem, per hoc; quod se in cælo pro nobis offerat; innuens, cum ante in terris viuentem; nec verum & proprium Pontificem fuisse: nec verum & proprium Sacrificium obtulisse. quem errorem, satis clarè refutauerat olim R. P. Martinus Smiglecius: tum in nouis noui Arrianismi Monstris: tum Lib. 2, de Erroribus Arrianorum cap. ii, & sequentibus: tum alibi. Mihi sufficient loca aliquot Scripturæ; quæ Christum in terris, verum & perfectum Pontificem fuisse; non Metaphoricum; & proprium Sacrificium obtulisse; palam faciant.

Primus est: *Hebr. 10. v. 10: Sanctificati sumus per oblationem Corporis Christi semel.* Hæc oblatio, non potest censeri facta in cælo

cælo ; in sententia Policheitarum, negantium Christum habere corpus, quod offerri possit : & in omni sententia, non potest dici ; hæc oblatio, primum esse facta in cælo : cùm eam prius esse factam in Cruce, sèpiùs testentur Scripturæ, v.g. Isa. 53. v. 7: *Oblatus est, quia ipse voluit : & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ductus est, &c.* Et Ephes. 5. v. 3: *Christus dilexit nos : & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Hebr. 9. v. 12: *Christus per proprium Sanguinem, introuit semel in sancta, aeterna redemptione inuenta :* Et v. 14: *Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit, immaculatum Deo : emundabit conscientiam nostram.* Et v. 27, & 28: *Quemadmodum statutum est hominibus semel mori ; post hoc autem iudicium : sic & Christus semel oblatus est ; vel (ut Syriacè legitur) immolauit vel sacrificauit ; ad mulitorum exhaurienda peccata.*

Hic patet Sacrificium hoc, quo Christus oblatus est semel, esse oblationem mortis eius in Cruce exceptæ ; quam oblationem, etiam nunc, continuat in cælis Christus : quatenus (ut ait S. Cyprianus Serm. de Baptismo Christi) semper reseruatæ in Corpore Christi plague, salutis humanæ exigunt premium : & obedientia donatiuum requirunt : idque est Christum vultui Dei apparere : & interpellare pro nobis. Deniq; Hebr. 1. v. 3, dicitur : *Christus (iuxta Græcum textum) per semetipsum purgatione peccatorum facta, confidisse in dextera Throni Majestatis.* Si ergo Christus, non nisi purgatione facta, sed sit ad dexteram Patris, sequitur manifestè, eum, prius Sacrificium, ad expianda peccata per Sanguinem (*sine cuius effusione non fit remissio*, Hebr. 9. v. 12:) obtulisse : verumque & proprium Sacerdotem, etiam in terris fuisse. Quod si tum, verus & proprius Sacerdos, non fuit ; neque modo est. Nam etiam Angeli vultui Dei assistunt : neque tamen dici possunt, veri & proprii Sacerdotes. Afferit quidem Saxo, *Christo non nisi figuratè munus Pontificium tribui :* sed per hoc grauissimam infert iniuriam dignitati Christi : quem S. Paulus tota ferè Epistola ad Hebreos, probat : respectu Sacri-

ficij esse Sacerdotem, non Metaphorice, sed verè & propriè : atque ita perfectè; atque alij quicunque, veri, proprij & perfecti Sacerdotes.

Secundus error eiusdē Cōfessionis expressus est : quia docet : *Christo, quatenus Pontifici nostro, Sanctorum Ministro, & Tabernaculi veri; super omnes Angelorum & hominum ordines dominanti, (ad diem tantum iudicij,) deberi, non minorem cultum & adorationem quam ipsi Deo.* Hic error; merus est Politheismus. Cultus enim debitus Deo, est Confessio causæ primæ independentis ; à quâ, habeat esse, omnis creatura, dicere autem ; & honorare aliquam creaturam ; tanquam Causam primam, independentem, & omnium creaturarum authorem : est plura prima principia, & plures primas Causas : pluresque veros Deos ponere : quod merissimus gentilismus est. Atque ideo : ex eo ipso, quod Christo debetur, cultus ille debitus Deo ; cvidenter conuincitur : Christum Filium Dei, esse vnum illum Deum cum Patre: ideoque uno eodemque cultu & honore, honoriū cum Patre.

Errorum occultatorum primus est : quod doceant isti ; Christū ante suam in cælis exaltationem, nec Dominum perfectum fuisse : nec Saluatorem : nec Filium Dei perfectum : nec potentiam habuisse, quam nunc habet. Ex quo sequitur : Christum dum interris viueret, secundum eos non fuisse Deum : sed semideum : vel destinatum Deum : nec fuisse Dominum, sed semidominum : nec Filium, sed semifilium, vel destinatum in Filium, vel in Saluatorem. quo posito, contradicunt isti, Angelis dicentibus : Christum natum ex Virgine, esse Filium Dei: *Luc. 1. ¶. 35: & natum Saluatorem, Christum Dominum: Luc. 2. ¶. 11.* Contradicunt Elisabethæ ; *Luc. 1. ¶. 43;* Beatissimam Virginem, Matrem Domini sui appellanti. Contradicunt Apostolis, səpiùs Christum vocantibus Dominum, & confitentibus esse Filium Dei. v. g. *Matt. 8. ¶. 25,* vbi etiam homines, dominium eius admirati, dicebant : *Quis est hic, quia venti &*

mare obediunt ei? Et Matt. 14. §. 28. & 30, vbi eidem dixerat A-
 postoli: Verè Filius Dei es, quod vtrumque repetit S. Petrus Mat.
 16. §. 16, & 22: denique Christum viuentem Apostoli, sine illa
 imperfectionis nota, absolutè Dominum vocant plusquam tri-
 gesies. Contradicunt ipsi Christo, qui in terris degens dice-
 bat se Dominum sabbati: & maiorem sabbato: Matt. 12. §. 6, & 8:
 dicebat se Dominum Dauidis; Matt. 22. §. 43: & sequentibus;
 & clarissimè Ioan. 13. §. 13. & 14. aiebat: Vos vocatis me, Ma-
 gister & Domine, & benedicis: sum enim. Si ergo ego Magister
 vester, & Dominus, &c. Cùm ergo, tot testibus probetur, Chri-
 stum ante mortem suam, fuisse Dominum, imperasse ventis &
 mari, in potestate etiam spiritibus immundis imperasse; Marci
 1. §. 27, cui Angeli in deserto seruierint, quem Magivel Reges,
 vt Deum in præsepio adorauerint: quæ impietas est, quæ per-
 tinacia, tanta testium luce non obstante, negare Christum, an-
 te suum in cælos redditum, fuisse Dominum, Regem, &
 Filium Dei perfectum? Saltem Pilato vel Caiphæ, quando ab
 eis interposito iuramento interrogabatur cum potestate iudi-
 cij Christus, eam sui Dominij imperfectionem confessus fui-
 set: si (vti blasphemant isti) tunc neque Dominus, neque Fi-
 lius Dei perfectus fuisse. At ille, & Caiphæ interposito iura-
 mento interroganti, essetne Christus & Filius ille Dei benedi-
 cit; Respondit: Marci 15. §. 61. Ego sum: & alia phrasim apud
 Matt. Tu dixisti: & eadem Phrasim, se Regem Pilato confessus est:
 proçue expreſſâ, vtriusque huius veritatis confessione, occisus
 est. Quomodo ergo isti homines inter Christianos cendi-
 sunt, qui tantum non mendacem faciunt Christum; cùm ne-
 gant illum Dominum, Regem, Filium Dei, perfectè eo tem-
 pore fuisse, quo se is iuramento obstrictus, sine illa limitatio-
 ne, Dominum, Regem, Filium Dei dicebat?

Idem verba illa, post Christi Resurrectionem Apostolis
 dicta, Matt: ultimo §. 18. Data est mibi omnis potestas in cælo & in
 terra: peruersa interpretatione in eum trahunt sensum: ut ne-

gent; per ea significatum esse, quod Christo tunc data sit potestas, de qua loquebatur: sed tantum quod esset danda: per quod iterum, mendacium tribuunt Christo: vii etiam, cum & illa verba; *Omnia quæ habet Pater, mea sunt; Ioan. 16. ¶. 15.* & illa *Ioan. 17. ¶. 2. dedisti ei potestatem omnis carnis; ut quos dedisti illi, det eis vitam eternam;* vel restringunt: vel ad prædestinationem trahunt. Quò factum est: vt aliqui eorum sectæ sodales; neguerint etiamnum Christū regnare in cœlis: docuerintque eum, tum primum regnaturum; quando mille annis regnare in mundo incipiet. Hos Smalcius indignos nomine Christiano appellat: quos tamen Socinus, in Epistola ad Synodū Chmielnicensem, vocat homines pietatis studiosos: & ob singulares virtutes præstantes authoritate. Et verò si Chiliaстæ (ita enim ab aliquibus appellantur) constanter inhærent, ei explicandæ Scripturæ rationi, quam in orbem induxerunt Politheitæ; nunquam hæresis poterunt convinci. Nam si Smalcius vrgebit, verba illa S. P. *Aet. 2. ¶. 36. Pro certo sciat Israel, quod Dominum & Christum fecit Deus hunc IESVM: quem vos crucifixistis:* explicabit Chiliaста, *eo* fecit; id est prædestinavit: vel facturus est: ad quod ei, seruient, plurima exempla verborum præteriorū: quæ Smalcius explicat de Prædestinatione, vel de futuro. Si verò vrgebit verba illa; *Data mihi est potestas,* acriter à Chiliaста redarguetur. Vel enim ea potestas, cum ea verba Christus loquebatur, erat, ei (vt pote post obedientiam vscq; ad mortem Crucis) data; vel non: Si data; Ergo eam habuit ante Ascensionem: quod vos negatis. Si non data; Ergo vt his verbis, tum cum loqueretur Christus, solum danda potestas significabatur: ita & his Dominum fecit Deus hunc IESVM &c. Nullo ergo loco Scripturæ (si ita, vt Politheitæ volunt, explicetur) Chiliaста conuinci potest; Christum modo Regnum habere. Quod quâ erat ingenij acie, aduertens Socinus, tandem in citata Epistola decidit: eam sententiam, etià vera esset, non esse publicè docendam.

Secundus error, h̄ic occultatus est: quōd doceant Chri-
stum non habere omnem potestatem in cælo & in terra, sed
tantum restrictam ad ea quæ sunt necessaria ad bonum regi-
men Ecclesiæ: quod verbis, de Regno Christi, absolute prola-
tis, apertè repugnat.

Tertius error est: quod dicant: *Deum Patrem modo non re-
gere nos: nec saluare: ita ut in usu huius regiminis Filius indepen-
dens sit à Patre: quæ est grauis blasphemia, in Deum Patrem.*
Ex quâ infertur primò; non debere à Fidelibus inuocari Deum
Patrem; vt auxilietur Ecclesiæ: eamq; contra Turcas defendat.
Infertur secundò: respectu alicuius creaturæ, Deum Patrem
non esse Deum: eundemq; alicuius hominis non esse Dominū.
Infertur tertio: Deum Patrem nunc, non posse dici, & esse
Caput Christi: vt tamen loquitur *S. Paulus 1. Cor. ii. §. 3.*

Quartus error est: quōd ijdem doceant: Regnū Christi esse
finiendū in die nouissimo: quod contradicit Scripturæ locis,
quibus aperè dicitur, Regni eius non fore finem. *V. g. Dan. 1.
§. 44.* vbi dicitur *Regnum Christi staturum in eternum:* quod
ipsum repetitur *Dan. 7. §. 14. & 27:* & expresse docetur, ab An-
gelo: *Luce. 1. §. 33.* *Et Regni eius non erit finis.* Tot locis, tam
clarè loquentibus, vnum isti locum, olim, ab Arrianis obici
solitum obtrudunt: quem satis olim clarè, S. Athanasius, S. Ba-
filius, S. Gregorius Theologus, S. Cyrillus Alexandrinus, S.
Augustinus & S. Fulgentius, & alij, qui contra Arrianos scri-
pserant, explicauère. Ab eis, præstiterat huius obscuri loci ex-
plicationem discere; quam Christo Domino æternitatem Re-
gni, saepius, in S. Scripturis clarissimè tributam, negare. Nunc
breuitè dico: verba hæc, ita posse explicari: Christum quâ ho-
minem, qui nunc habet specialem modum, homines & Ange-
los regendi, eorum ministerio vtendo ad perficiendam homi-
num salutem; & varia dona influendo; post diem iudicij ab eo
regimine alijsq; functionibus, quibus nunc viritur in regenda
Ecclesiâ, destitutum. Tunc enim cessabunt omnia ministerias
et erit

& erit pura quædam contemplatio Diuina: quā totus Christus, id est; Caput cum omnibus membris, seu tota Ecclesia subiicitur Deo: ut Deus in omnibus dominetur & gloriificetur: & omnes in Deo habeant; quidquid sancte amare possunt: & desiderare. Eorum vero quæ à Sanctis Patribus dicuntur summa est. Dicit ibi Apostolus: tunc finem mundi fore: cum omnia simpliciter subiicientur Christo. Deinde ne aliquis erret; existimando Christum tunc, quando ei, etiam secundum humanitatem sumpto, Deus omnia subiicit; non fore Deo subiectum; docet S. Paulus: Christi humanitatem etiam tunc (id enim significat *rōrē ἡ*) subiectam fore Deo, ut Deus sit omnia in omnibus: id est: ut Deus sit omnem potestatem in omnia habens. Quod si hanc explicationem reiijcent Politheitæ; non minorem ipsi experientur difficultatem: si hoc eis obijciatur. Vel nunc Christo subiecta sunt omnia vel non: si nunc subiecta sunt ei omnia; Ergo nunc Christus subiectus Deo est. Si non sunt subiecta omnia. Ergo Christus, modo non est Dominus omnium: ut pote cui nec dum sint subiecta omnia. Ex quo vltierius sequitur: Christum nunquam fore Dominum omnium. nam antequam ei subiecta sunt omnia, non est actu Dominus omnium. Postquam autem subiicientur ei omnia tradet Regnum Deo & Patri. Quando igitur erit actu Dominus omniū? videtis nodum? Dicendū ergo est: Christum quā hominem, & modo subiectū esse Deo; etsi cum totius Ecclesiæ regimine: & post finem mundi subiectū eidem fore tradito Ecclesiæ regimine: Quod ut dixi ex Græco textu satis probabiliter colligitur: siquidem, si hoc loco significaretur; Christum, tunc demum, vel tum primum fore subiectū Deo, non diceretur in Græco textu *rōrē ἡ*: sed *rōrē δη*; ut patet ex Lexicographis. Potest hoc aliquatenus illustrari communi modo loquendi: quo Prorex, deposito Magistratu dicitur subiectus Regi: non quod antea subditus non fuerit, sed quod qui ante erat subiectus, cum aliquo sibi cōmisso regimine, postea est sine ullo regimine subiectus.

CAPVT XIV.

Vnde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Tria h̄c notaui. Primum. Quod Confessionis Author, dicat; Christum iudicem, ab omni oculo visum iri: & ab eis qui ipsum confixerunt. H̄c debuerat candidē ab Authore significari: Quomodo, sui asseclæ, credant Christum ab omni oculo visum iri: si, (vt passim docent Politheitæ:) nunc, corpus eius ita est Spirituale; vt neque ab oculo videri; neque manu tangi possit.

Secundum dicit: Actum extremi Iudicii; maximum fore Regni Christi effectum: at quomodo is maximus Regni Christi effectus sit; qui alijs etiam hominibus communis est? cùm etiam Apostoli iudicaturi sint non tantum tribus Israel: Matt. 19. §. 28: sed etiam Angelos: 1. Cor. 6. §. 3.

Tertium: explicandum h̄c erat; quid ijdem censeant de Christi DEITATE. Nam si, (vt illi volunt,) Christus post diem Iudicii regnare desinet; & Fideles, iam ei subiecti non erunt; vt expressè docet Saxo: neque amplius (vt omnes credimus) à mortuis nos excitaturus vel iudicaturus est; neque etiam voluntatem Dei, nobis interpretaturus; neque salutem nostram & beatitudinem conseruaturus; vt illi docent: necessariò sequitur; eum, vel non fore amplius Deum: atque ita, eos, merissimè in temporalem Deum credere: vel saltē credere, Christum fore, Deum, post diem iudicii, multò imperfectiorem; quam modo est: imò quam fuit; dum in terris degeret. Nam in cælis neminem amplius saluare poterit.

CAPVT XV.

Credo in Spiritum Sanctum.

FTiam h̄c reperio impostoram. Nihil h̄c dicitur: qui sensus suorum asseclarum sit; de Deitate, Personalitate, unitate Spiritus S. Quidita? an hoc non pertinet ad veram fidem?

Ergo ut manifesta sit Authoris impostura; refero: quæ de Spiritu S. docet, eorum olim Archim minister Smalcius: in Enotico ignis & aquæ: & alibi. Negat eum esse Deum *Fol. 37, & 38, Enotici.* Negat esse Personam ibidem: & alibi passim. Negat idem, eum Christo esse æqualem: *Enotici Fol. 38: imo Lib. de Diu. cap. 34,* circa finem, docet: Christum nunc, ita habere potestatem supra Spiritum S.; sicut supra Angelos. Negat idem Spiritum S. esse unum: tum in Monstris *Fol. 205:* tū in Cōcione *Fol. 77:* & in eius defensione Bebel *ni⁹ Fol. 65.*

Hæc quantopere repugnant Scripturis, notum est omnibus. Hic ea tantum vrgo, quæ de Spiritu S. docet Confessionis Author. Vocat ille hīc, Spiritum S. S. Doctorem: Magistrum: Re-storēm: Testem: donorum effectorēm: & distributorem: quem Filius loco sui miserit: qui sit noster Paracletus, &c. At in Præfatione negat eum esse Personam. Verū quomodo hæc, quæ esse Spiritum S. ipsem dicit; simul sumpta; non conuincunt, Spiritū S. esse Personam? Quomodo item Spiritus S. non est Deus, si peccatum in eum est irremissibile? & si est Dei virtus? an Dei virtus non est Deus? Quomodo denique est inferior Christo: si Sanctitas eius Conceptionis, Spiritui Sancto tribuitur? & si in viriute eius ejiciebat dæmonia? quomodo deniq; non unus est; si in unius Spiritus S. nomen baptizamur. Plura de hoc in alio Tractatu.

C A P V T XVI. Sanctam Ecclesiam Catholicam.

Neque huic equo Danai desunt. Ait. *suos credere: Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis.* At non solum Saxo in Monstris, & alibi: sed etiam Moschorouius: Ecclesia Christi, hanc prærogatiuam datam esse, ut in veritate fidei perseveret; negat: *Fol. 187. & 188.* Imò Saxo alicubi docet: *contra omnem naturam Religionis esse: promitti in ea constantiam: & negat ullam promissionem factam esse à Christo;* quod non sit futura defectio à fide: Iniquissime

Certè Ecclesia, est illa ciuitas : quam fundauit Deus in aeternum:
 Ps. 47. v. 9. illa est, cui dixit Deus: Is. 59. v. 11. Verba mea, que posui in
 ore tuo; non recedent de ore tuo; nec de ore seminis tui, à modo & usq[ue] in
 sempiternum: illa est, quam sibi Dominus, Osee 2. v. 20. sponsauit in
 fide, tanquā sponsam, non habentem maculā neg[er]at rugam: Ephes. 5. v. 27.
 Illa, est ciuitas veritatis: Zach. 8. v. 3. contra quam porta inferi nō sint pre-
 ualitatem; Matth. 16. cum quā Spiritus S. omnem veritatem docens, man-
 surus sit in aeternum: Ioan. 14. v. 16. &c. 16. v. 13. deniq[ue]; quomodo
 Sancta, seu (vt loquitur Confessio) omni genere Sanctitatis & ve-
 ritatis exornata, nec doctrina, & fide varia, Ecclesia dici possit;
 si hæresibus vnquam succumbere possit? Quomodo ea dici possit
 Christi solius, æterna sponsa; si vnquam per defectionem à fide
 reperiretur adultera? quæ communio luci cum tenebris? quæ ve-
 ritati (quæ Christus est) cùm ea congregatione; quæ vnquam te-
 nebris errorum aliquorum, obrui possit?

Fatetur Author: Ecclesiam debere esse Catholicam: seu vniuer-
 saliem. At fuitnē vspiam terrarum, audita vel lecta ea fidei Ana-
 logia, quam cætus Politheitici commenti sunt? fuitnē vnquam
 omnium Ecclesiarum ea fides: quod Verbū; sit dependens, sub-
 ordinatus, & temporalis Deus? quod fuerit Metaphoricus Redē-
 ptor? quod Spiritus S. nec Deus sit, nec Persona, sed Christo ho-
 minē inferior? denique omnes alij; quos hic retuli errores, num
 ab omnibus Ecclesijs vlo vnquam tempore fuere recepti? Atqui
 multò facilius, nos probauerimus: ab omni memoria, Ecclesiarū
 omnium, eam fuisse doctrinam, de Deo & Christo: quam nunc
 Catholici profitemur: quam illi, vel de vnicā doctrina, quā à no-
 bis dissident; probauerint.

CAPVT XVII.

Sanctorum communionem.

O Missa hīc est præcipua pars communionis Sanctorum:
 nimirum communicatio cum Triumphantē Ecclesia:
 quam Politheitæ nunc dari negant. Expressè tamen dici-

tur nobis: *Hebr. 12. ¶ 12: Accessibus ad Sion montem: & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam: & Ecclesiam primitiorum, qui conscripti sunt in celis: & spiritus iustorum perfectorum: qui *Hebr. 11.* dicuntur per fidem viciisse: seculi, lapidati: in occidente gladij mortui, &c.* Dicitur item Christus *Caput esse supra omnem Ecclesiam. Ephes. 1. ¶ 22:* id est etiam super Angelorum sacrum Collegium: quos etiam vni Ecclesiæ includi tanquam vni corpori, vnitas Capitis conuincit.

Omittitur item, hic partitio ministeriorum in Ecclesia Dei, ut in corpore membrorum. Deus enim (ait Apostolus *Ephes. 4. ¶ 11:*) in Ecclesia dedit: quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios vero Pastores, & Doctores, &c. Et addit *i. Cor. 11. ¶ 29:* Nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur? & supra *¶ 12:* *Sicut corpus unum est, & membra habet multa: omnia autem membra corporis cum multis sint; unū tamen sunt corpus; ita & Christus.* Quæ Author de Poenitentia & Baptismo refert, suspecta sunt imposturæ. Nam aquæ Baptismum, necessarium esse ad salutem, editis multis libris, duce Socino, Politheitæ negauerunt: atque etiamnum plerique negant. In Poenitentia vero, nescio quid sibi velit illud, ut poenitentes, corde contrito confiteantur. An enim, apud eos, est usus Confessionis? an nulli; quibus sua peccata confiteantur; an aliqui, à quib⁹ absolui possint, designati, vel ordinati? si vero haec confessio Deo sit: quo differt à contritione?

CAPVT XVIII. Remissionem peccatorum.

OMNIA nobis poenitentibus, actualia peccata remitti, bene docet Author. at quid de Originali? Negant illud dari. aiuntque esse puerilem & antichristianam fabulam. Negant ijdem in veteri Testamento, remissa esse peccata alicui: contra expressas Scripturas: docentes: remissa esse peccata Dauidi: & omnibus

omnibus pœnitentibus promissam peccatorum obliuionem. Alios hic errores, circa modum remissionis peccatorum omitto. Noto præterea Authorem, (nisi à suis Collegis defecerit:) contra conscientiam loqui: dicendo peccata plenissimè remitti per obedientiam, sanguinem, & oblationem Iesu Christi: quod ab omnibus satisfactionem Christi negantibus, negatur.

CAPVT XIX.

Carnis resurrectionem.

Qvædam hic in Mysterio dicuntur: quædam supprimuntur. Mysterium est; quod Resurrectio vel resuscitatio hominum, restringatur, ad eos quibus peccata sunt remissa. Quid igitur dicetur de illis, qui in peccatis mortui? quibusque ea non sunt remissa? An hi vltimo die non resuscitabuntur? non resurgent ad iudicium?

Mysterium item: quod ne verbum quidem ponatur de carnis resurrectione: sed tantum termo sic, de resuscitatione hominū à mortuis: & de inhabitacione domus æternæ in cælis. Nimirū, non carnis resurrectionem; sed carnis destructionem, vel annihilationem; vel in spiritum consuersionem; credunt Politheitæ: contra expressa verba Symboli Apostolici: & S. Scripturæ Job 19. ¶. 25: Ecce, quod Redemptor meus viuit: & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea: & in carne mea videbo Deum meum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspicueris; & non aliis. Alij ex Hebræo ita vertunt: Noni Redemptorem meum viuere: & posteriorem super puluerem resurrecturum: & postquam verenes confoderint istud; euigilante me: tum carne mea me visurum esse Deum. Idem qui sum & non alienus, visurus sum mibi: & oculi mei aspecturi, &c. Et: Ioan. 5. ¶. 28: Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei: & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vita: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Et Cor. 5. ¶. 10: Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi: ut

referat unusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Eccl. 1. Cor. 15. §. 15; Omnes quidem resurgent, sed non omnes immutabimur.

Ex quibus omnibus constat; omnes omnino homines resurrectos in eisdem corporibus; in quibus vixerunt: eo solo discrimine; quod corpora resuscitata impiorum; futura sint fæda, fætida, igni vrenda, nequæ tamen unquam comburenda: Corpora vero Sanctorum sint immutanda (pro singulari ratione meritorum; ut explicat S. Pau. 1. Cor. 15. §. 41;) claritate: subtilitate: agilitate impassibilitate: quarum respectu vocantur ab Apostolo corpora cælestia, immortalia, Spiritualia. Hoc enim est, quod loquitur Apost. 1. Cor. 15. *corpus seminatum seu sepultum in corruptione, surrectum in incorruptione*: id est impassibilitate: (alioqui etiam corpora damnatorum ad supplicium æternum, surgent in incorruptione: id est, in immortalitate:) & *corpus seminatum in ignobilitate, surrectum in gloria*: id est in ea claritate; in qua fulgebunt Iusti, aut sicut sol, aut sicut stellæ, secundum mensuram eorum sanctitatis: & *corpus, seminatum in infirmitate, surrectum in virtute fortitudinis & mobilitatis*: motu etiam (ut plerique Theologi docent,) Angelico: & *corpus animale*; id est fatigabile, somni potusque indigum seu vegetabile; *surrectum corpus spirituale*: id est, nullius horum indigum: sed subtile, tenue, agile, &c. Quomodo enim diceretur toties, *corpus nostrum surrectum in incorruptione*; quod ante, corruptioni non fuit obnoxium? quomodo (ut alia omittam) diceretur *corpus animale surrectum spirituale*; quod nunquam fuit animale? quomodo item diceretur, *corpus informari, immutari, Corpori conformari Christi*; si penitus *corpus corruptibile & animale destrueretur?* &, si nobis conferretur *corpus quoddam nouum & Chimæricum*, in terminis implicans contradictionem? ut potè tale, quod dicitur *corpus*; & tamen non est *corpus*: sed *spiritus*: quod dicitur *corporeum*, ex exigentia essentiæ corporis; & simul *incorporeum* ex exigentia essentiæ spiritus: quod dicitur *corporeum*: & tamen ita immaterialis,

riale, ut æquè censeatur intangibile & invisibile; atque est Deus: quod denique dicitur humanum; & tamen non organicum: & omnibus sensorijs organis destitutum? Monstrosum vtiique quid: quod cùm sit animal sensituum, omni sit sentiu, imò & potentia, & organis sentiendi destitutum: non potiori iure denominabile animal: quām denominaretur ventus vel Angelus, vel, nescio quid, quod isti apprehendunt. Monstrosum item, eo etiam titulo, quod eadem numero censeatur persona humana: quæ tamen dicatur, non habere eas partes essentiales, quas olim habuit: nempe, neque corpus; (vt fatentur aduersarij;) neque animam: cùm ea, supponatur esse actus Corporis organici: & tamen negetur, actuare corpus organicum. Monstrosum amplius: quia supponitur, actus actuari ab actu: spiritus immaterialis, à spiritu immateriali: & sit quoddam compositum: nec Physicum; quod in eo nec materia sit, nec forma Physica: nec Metaphysicum; quia dicitur, non solum intelligibile, sed reale & Physicè existens, corpus.

Neq; his quæ dixi: S. Scriptura contradicit: imò exigit; vt explicetur, non in sensu substantiali; sed qualitatuo.

Caro & sanguis Regnū Dei non possidebunt: id est illi; qui hic in terris degētes, non portant imaginē celestis sed terreni 1. Cor 15. ¶ 49. vel qui non ex Deo, sed ex sanguinibus & voluntate carnis nati, Iohann. 1. ¶ 13. non secundum spiritum, sed secundum carnem ambulant Ro. 8. ¶ 4: qui ea quæ carnis sunt sapint: ibidem ¶ 5. facientes voluntatem carnis Ephes. 2. ¶ 3. qui deniq; seminant non in spiritu, ex quo metent vitam aeternā: sed in carne de qua metunt corruptionē Gal. 6. ¶ 8.

C A P V T X X . Et vitam æternam..

Confundit hic Author; resurrectionē, cum possessione vitæ æternæ. dicit enim: Credimus in Christi aduentu mutatum iri omnes sanctos, in ictu oculi &c. & viuorum corpora, induitum iri incorruptionē: tuncq; omnes in aërem raptum iri. &c. Non est hoc, mi Domine,

mi Domine, viuere in æternum. Nam etiam rapti in aéra iusti, ante latam sententiam, non dicuntur benedicti: nec viuentes in æternum. Tum primum Beati dicuntur: cum cælestibus excepti palatijs, beatificâ Dei, (summi, creaturæ intellectualis, boni) visione, perfruuntur.

Quæres, mi Lector, cur hîc confunditur resurrectio cum possessione vitæ æternæ? Mysterium hoc est Politheitarum. Sentiunt enim illi: homines infideles, & impios, non resurrecturos: sed in die nouissimo, cum cælo, terra, mari, & omnibus quæ in eis sunt, & cum Dæmonibus annihilatum iri: atq; ita, neminem fore, hominum & Dæmonum, qui supplicium patiatur æternum: contra expressum S. Scripturæ clamorem, Matth. 25. v. 96. *Ibunt hi in supplicium æternum: hi verò in vitam eternam.*


Falsum ergo est; quod concludit Confessionis Author, ita serm verissimè habere: hanc eorum, hanc deniq; veram Christianorum fidem esse. Demonstratū enim est: quædam, quæ docentur in ea Cōfessione falso doceri: quædā eorū fidem nō esse, sed fingi: plurima verò eorum quæ credunt, longissimè abesse à vera Fide Christianorum: vti patebit, ex Speculo Socinistarum: breui, Deo fauente, edendo: in quo palam fiet; Socinistas, seu Arrianos, in omnibus Christianæ fidei Articulis, non solùm à Catholicis, sed etiam ab Euangelicis adeò dissidere; vt inter veros Christi adoratores censeri non possint. *D e v s illis det illuminatos cordis oculos; vt resipiscant: & tandem*

D E V M blasphemare desinant.

Amen..



92 u/6



2866

9241
6

